
ORDO PÆNITENTIÆ

ORDO PÆNITENTIÆ



RITUALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

ORDO PÆNITENTIÆ

EDITIO TYPICA

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIV

1*(1514)

SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. n. 800/73

DECRETUM

Reconciliationem inter Deum et homines Dominus noster Iesus Christus mysterio mortis suæ ac resurrectionis effecit (cf. *Rom* 5, 10). Ecclesiæ in Apostolis hoc reconciliationis ministerium a Domino commissum est (*2 Cor* 5, 18 ss), quod ipsa implet hominibus faustum nuntium salutis afferendo eosque baptizando in aqua et Spiritu Sancto (cf. *Mt* 28, 19).

Sed propter humanam infirmitatem accidit, ut christiani « caritatem suam primam relinquant » (cf. *Ap* 2, 4), quin etiam amicitiæ cum Deo coniunctionem peccando dirumpant. Propterea, ad remittenda peccata post Baptismum commissa, Dominus peculiare sacramentum Pænitentiæ instituit (cf. *Io* 20, 21-23), quod Ecclesia per sæculorum decursum fideliter celebravit, variis quidem modis, sed servatis eius elementis essentialibus.

Concilium autem Vaticanum Secundum hæc statuit: « Ritus et formulæ Pænitentiæ ita recognoscantur, ut naturam et effectum Sacramenti clarius exprimant ».[1] Hæc spectans, Sa-

[1] Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 72: *AAS* 56 (1964), p. 118.

cra Congregatio pro Cultu Divino novum *Ordinem Pœnitentiæ* diligenter apparavit, ut actio Sacramenti plenius a fidelibus intellegatur.

In hoc novo Ordine, præter *Ordinem ad reconciliandos singulos pœnitentes,* ut in luce ponatur aspectus communitarius sacramenti, concinnatus est *Ordo ad reconciliandos plures pœnitentes,* secundum quem confessio et absolutio singulares in celebrationem verbi Dei inseruntur. Præterea, pro certis casibus, confectus est *Ordo ad reconciliandos plures pœnitentes cum confessione et absolutione generali,* iuxta Normas Pastorales circa absolutionem sacramentalem generali modo impertiendam, a Sacra Congregatione pro Doctrina Fidei die 16 iunii 1972 datas.[2]

Ecclesia cordi habet fideles suos ad continuam conversionem et renovationem vocare. Volens autem ut baptizati, post lavacrum lapsi, peccata in Deum et fratres commissa agnoscant et veram pænitentiam in corde habeant, studensque eos ad celebrandum sacramento Pænitentiæ præparare, Ecclesia eos hortatur, ut celebrationibus pænitentialibus nonnumquam intersint. Quam ob rem Sacra hæc Congregatio normas eiusmodi celebrationum agendarum constituit atque exempla seu specimina earum proposuit, quæ Conferentiæ Episcopales ad necessitates regionum suarum poterunt accommodare.

Summus igitur Pontifex PAULUS VI *Ordinem Pœnitentiæ,* a Sacra Congregatione pro Cultu Divino apparatum, auctoritate sua approbavit evulgarique iussit, ut is pro titulis huc

[2] Cf. *AAS* 64 (1972), pp. 510-514.

spectantibus, qui in Rituali Romano usque adhuc vigente exstant, substitueretur. Qui Ordo, lingua Latina exaratus, statim ac prodierit, lingua autem vernacula conscriptus a die, quem Conferentiæ Episcopales statuerint, postquam translationem in linguas vernaculas approbaverint confirmationemque ab Apostolica Sede impetraverint, vigere incipiet.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Cultu Divino, die 2 decembris 1973, dominica prima Adventus.

DE SPECIALI MANDATO SUMMI PONTIFICIS

IOANNES Card. VILLOT
Secretarius Status

✠ A. BUGNINI
Archiep. tit. Diocletianen.
a Secretis S. C. pro Cultu Divino

ORDO PÆNITENTIÆ

PRÆNOTANDA

I

De mysterio reconciliationis in historia salutis

1. Misericordiam suam Pater manifestavit mundum reconcilians sibi in Christo, pacificans per sanguinem crucis eius sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt.[1] Filius Dei, homo factus, inter homines conversatus est ut eos de servitute peccati liberaret[2] et de tenebris in admirabile lumen suum advocaret.[3] Propter quod suum in terra munus inchoavit pænitentiam prædicans et dicens: « Pænitemini et credite Evangelio » (*Mc* 1, 15).

Hæc ad pænitentiam invitatio, quæ iam crebro per prophetas insonuerat, corda hominum in adventum Regni Dei præparavit per vocem Ioannis Baptistæ, qui venit « prædicans baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum » (*Mc* 1, 4).

Iesus autem homines non tantum ad pænitentiam exhortatus est ut peccata relinquerent et se ad Dominum toto corde converterent,[4] sed etiam peccatores suscipiens eos cum Patre reconciliavit.[5] Infirmos præterea curavit ut signum potestatis suæ remittendi peccata præberet.[6] Demum ipse pro peccatis nostris mortuus est, et resurrexit propter iustificationem nostram.[7] Propterea, in qua nocte tradebatur, salutiferam inchoans passionem,[8] Novi Fœderis sacrificium instituit in sanguine suo pro remissione peccatorum,[9] et post resurrectionem suam Spiritum Sanctum in Apostolos misit ut haberent potestatem remittendi peccata aut retinendi,[10] atque munus acciperent prædicandi in nomine eius pænitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.[11]

Mandato Domini obtemperans, Petrus, cui Dominus dixerat: « Tibi dabo claves Regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis » (*Mt* 16, 19), die Pentecostes remissionem

[1] Cf. *2 Cor* 5, 18 s; *Col* 1, 20.
[2] Cf. *Io* 8, 34-36.
[3] Cf. *1 Pt* 2, 9.
[4] Cf. *Lc* 15.
[5] *Lc* 5, 20. 27-32; 7, 48.
[6] Cf. *Mt* 9, 2-8.
[7] Cf. *Rom* 4, 25.
[8] Cf. Missale Romanum, *Prex eucharistica III*.
[9] Cf. *Mt* 26, 28.
[10] Cf. *Io* 20, 19-23.
[11] Cf. *Lc* 24, 47.

peccatorum per baptismum prædicavit: « Pænitentiam agite ... et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum » (*Act* 2, 38).[12] Numquam exinde omisit Ecclesia quin homines de peccato ad conversionem vocaret et Christi victoriam de peccato per celebrationem pænitentiæ patefaceret.

2. Hæc de peccato victoria primo in baptismo refulget, quo vetus homo cum Christo crucifigitur ut destruatur corpus peccati et ultra non serviamus peccato, sed cum Christo resurgentes Deo exinde vivamus.[13] Quapropter Ecclesia fidem suam confitetur in « unum baptisma in remissionem peccatorum ».

In Sacrificio Missæ passio Christi repræsentatur, et corpus pro nobis traditum ac sanguis effusus in remissionem peccatorum iterum ab Ecclesia Deo offeruntur pro totius mundi salute. In Eucharistia enim Christus adest et offertur ut « Hostia nostræ reconciliationis » [14] et ut nos, per Spiritum Sanctum suum, « congregemur in unum ».[15]

Sed insuper Salvator noster Iesus Christus, cum Apostolis suis eorumque successoribus potestatem contulit dimittendi peccata, in Ecclesia sua sacramentum Pænitentiæ instituit, ut fideles qui post primum lavacrum in peccata labuntur, renovata gratia, cum Deo reconciliarentur.[16] Ecclesia enim « et aquam habet et lacrimas: aquam baptismatis, lacrimas pænitentiæ ».[17]

II

De reconciliatione pænitentium in vita Ecclesiæ

Ecclesia sancta ac simul semper purificanda

3. Christus « dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret » (*Eph* 5, 25-26), eamque ut sponsam sibi univit;[18] illam, quæ Corpus et plenitudo eius est, divinis suis donis replet [19] et per ipsam veritatem et gratiam ad omnes diffundit.

Ecclesiæ tamen membra tentationi obnoxia sunt atque sæpe in peccata misere labuntur. Quapropter, « dum Christus, ' sanctus, innocens, impollutus ' (*Hebr* 7, 26), peccatum non novit (*2 Cor* 5, 21), sed

[12] Cf. *Act* 3, 19. 26; 17, 30.
[13] Cf. *Rom* 6, 4-10.
[14] Missale Romanum, *Prex eucharistica III.*
[15] Missale Romanum, *Prex eucharistica II.*
[16] Cf. Conc. Trid., Sessio XIV, De sacramento Pænitentiæ, cap. 1: Denz.-Schön. 1668 et 1670; can. 1: Denz.-Schön. 1701.
[17] S. Ambrosius, *Epist.* 41, 12: *PL* 16, 1116.
[18] Cf. *Ap* 19, 7.
[19] Cf. *Eph* 1, 22-23; Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium*, n. 7: *AAS* 57 (1965), pp. 9-11.

sola delicta populi repropitiare venit (cf. *Hebr* 2, 17), Ecclesia in proprio sinu peccatores complectens, sancta simul et semper purificanda, pænitentiam et renovationem continuo prosequitur ».[20]

Pænitentia in vita et liturgia Ecclesiæ

4. Multis et variis modis populus Dei hanc continuam pænitentiam agit et perficit. Christi enim passionibus per patientiam suam communicans,[21] misericordiæ et caritatis opera exercens[22] sese in dies magis ac magis secundum evangelium Christi convertens, fit signum in mundo conversionis ad Deum. Quod Ecclesia vivendo exprimit et celebrat in liturgia sua, dum fideles se peccatores profitentur, atque veniam Dei et fratrum implorant, uti fit in celebrationibus pænitentialibus, in verbi Dei proclamatione, in oratione, in elementis pænitentialibus celebrationis eucharisticæ.[23]

In sacramento vero Pænitentiæ fideles « veniam offensionis Deo illatæ ab eius misericordia obtinent et simul reconciliantur cum Ecclesia, quam peccando vulneraverunt, et quæ eorum conversioni caritate, exemplo, precibus adlaborat ».[24]

Reconciliatio cum Deo et cum Ecclesia

5. Quia peccatum est offensio Deo illata, quæ amicitiam cum eo disrumpit, pænitentia « eo ad postremum spectat ut Deum adamemus eique nosmetipsos prorsus concredamus ».[25] Peccator ergo qui, Dei miserentis gratia, pænitentiæ iter ingreditur, ad Patrem revertitur qui « prior dilexit nos » (*1 Io* 4, 19), ad Christum qui tradidit semetipsum pro nobis,[26] atque ad Spiritum Sanctum qui effusus est in nos abunde.[27]

Sed « ex arcano ac benigno dispensationis mysterio, homines supernaturali necessitudine inter se coniunguntur, qua peccatum unius etiam ceteris nocet, sicut etiam sanctitas unius beneficium ceteris affert »,[28] et ita pænitentia semper etiam cum fratribus reconciliationem secumfert, quibus peccatum iugiter nocumentum infert.

[20] Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium*, n. 8: *ibid.*, p. 12.

[21] Cf. *1 Pt* 4, 13.

[22] Cf. *1 Pt* 4, 8.

[23] Cf. Conc. Trid., Sessio XIV, De sacramento Pænitentiæ: Denz.-Schön. 1638, 1740, 1743; S. Congr. Rituum., Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 35: *AAS* 59 (1967), pp. 560-561; Missale Romanum, *Institutio generalis*, nn. 29, 30, 56 a. b. g.

[24] Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium*, n. 11: *AAS* 57 (1965), pp. 15-16.

[25] Paulus VI, Const. Apost. *Pænitemini*, 17 febr. 1966: *AAS* 58 (1966), p. 179; cf. Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium*, n. 11: *AAS* 57 (1965), pp. 15-16.

[26] Cf. *Gal* 2, 20; *Eph* 5, 25.

[27] Cf. *Tit* 3, 6.

[28] Paulus VI, Const. Apost. *Indulgentiarum doctrina*, 1 ian. 1967, n. 4: *AAS* 59 (1967), p. 9; cf. Pius XII, Litt. encycl. *Mystici Corporis*, 29 iunii 1943: *AAS* 35 (1943), p. 213.

Immo, sæpe homines in patranda iniustitia, etiam coniuncte agunt. Eodem modo in pænitentia agenda se invicem adiuvant, ut a peccato per gratiam Christi liberati, simul cum omnibus hominibus bonæ voluntatis iustitiam et pacem in mundo operentur.

Sacramentum Pænitentiæ eiusque partes

6. Christi discipulus qui, post peccatum, a Spiritu Sancto motus, ad sacramentum Pænitentiæ accedit, debet ante omnia toto corde se ad Deum convertere. Hæc intima cordis conversio, quæ contritionem de peccato et propositum novæ vitæ complectitur, per confessionem Ecclesiæ factam et per debitam satisfactionem necnon vitæ emendationem exprimitur. Deus vero remissionem peccatorum impertit per Ecclesiam, quæ ministerio sacerdotum operatur.[29]

a) *Contritio*

Inter actus pænitentis primum locum obtinet contritio quæ « animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero ».[30] Etenim « ad Christi Regnum nobis fas est accedere tantum ' metànoia ', id est intima totius hominis mutatione, qua ipse cogitare, iudicare, vitamque suam componere incipit ea sanctitate et caritate Dei perculsus, quæ in Filio novissime manifestatæ sunt et plene nobis impertitæ (cf. *Hebr* 1, 2; *Col* 1, 19, et passim; *Eph* 1, 23, et passim) ».[31] Ex hac ergo cordis contritione pendet pænitentiæ veritas. Conversio enim hominem intrinsecus afficere debet, ut eum profundius in dies illuminet et magis magisque Christo conformem efficiat.

b) *Confessio*

Ad sacramentum Pænitentiæ pertinet culparum confessio, quæ ex vera sui cognitione coram Deo et peccatorum contritione procedit. Hæc tamen intima cordis exquisitio et externa accusatio in lumine Dei misericordiæ fieri debent. Confessio autem exigit in pænitente voluntatem aperiendi cor suum Dei ministro; in hoc vero spiritale iudicium quo, in persona Christi agens, pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiat.[32]

[29] Cf. Conc. Trid., Sessio XIV, De sacramento Pænitentiæ, cap. 1: Denz.-Schön. 1673-1675.
[30] *Ibid.*, cap. 4: Denz.-Schön. 1676.
[31] Paulus VI, Const. Apost. *Pænitemini*, 17 febr. 1966: *AAS* 58 (1966), p. 179.
[32] Cf. Conc. Trid., Sessio XIV, De sacramento Pænitentiæ, cap. 5: Denz.-Schön. 1679.

c) *Satisfactio*

Vera conversio per culparum satisfactionem, per vitæ emendationem necnon damni reparationem completur.[33] Opus ac mensura satisfactionis debent unicuique pænitenti convenire, ut unusquisque ordinem quem læserat restauret, et pro morbo quo laboravit, contraria medicina curetur. Oportet proinde ut pœna sit revera remedium peccati et vitam aliquomodo renovet. Ita pænitens ea « quæ retro quidem sunt obliviscens » (*Phil* 3, 13) se noviter in mysterium salutis inserit et ad ea quæ sunt futura se extendit.

d) *Absolutio*

Peccatori conversionem suam Ecclesiæ ministro manifestanti in confessione sacramentali, Deus veniam suam per signum absolutionis concedit et sic sacramentum Pænitentiæ perficitur. Secundum enim Dei œconomiam, qua humanitas et benignitas Salvatoris nostri Dei hominibus visibiliter apparuit,[34] Deus vult per visibilia signa salutem nobis conferre et fractum fœdus iterum renovare.

Per sacramentum ergo Pænitentiæ Pater filium ad se revertentem suscipit, Christus ovem perditam in umeros suos attollit atque ad ovile reducit, et Spiritus Sanctus templum suum iterum sanctificat aut plenius inhabitat, quod tandem manifestatur per renovatam vel ferventiorem participationem mensæ Domini qua, filio de longinquo revertente, fit gaudium magnum in convivio Ecclesiæ Dei.[35]

De necessitate et utilitate huius sacramenti

7. Sicut varium et multiplex est peccati vulnus in vita singulorum et communitatis, ita diversum est remedium quod nobis pænitentia affert. Qui enim per grave peccatum a communione caritatis Dei recesserunt, per sacramentum Pænitentiæ ad vitam quam amiserant revocantur. Qui vero in peccata venialia incidunt debilitatem suam cotidie experientes, per iteratam pænitentiæ celebrationem vires sumunt, ut ad plenam libertatem filiorum Dei perveniant.

a) Ad salutiferum remedium sacramenti Pænitentiæ percipiendum, iuxta misericordis Dei dispositionem debet fidelis confiteri sacerdoti omnia et singula peccata gravia, quorum, excussa conscientia, memoriam habet.[36]

[33] Cf. Conc. Trid., Sessio XIV, De sacramento Pænitentiæ, cap. 8: Denz.-Schön. 1690-1692; Paulus VI, Const. Apost. *Indulgentiarum doctrina,* 1 ian. 1967, nn. 2-3: *AAS* 59 (1967), pp. 6-8.
[34] Cf. *Tit* 3, 4-5.
[35] Cf. *Lc* 15, 7. 10. 32.
[36] Cf. Conc. Trid., Sessio XIV, De sacramento Pænitentiæ, can. 7-8: Denz.-Schön. 1707-1708.

b) Præterea frequens et diligens huius sacramenti usus etiam pro venialibus peccatis valde utilis est. Non est enim mera ritualis repetitio nec psychologicum quoddam exercitium, sed assiduum studium gratiam baptismi perficiendi, ut, dum mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferimus, magis magisque vita Iesu manifestetur in nobis.[37] In huiusmodi confessionibus pænitentes, dum de venialibus culpis se accusant, curent præsertim ut penitius Christo conformentur et Spiritus voci attentius obsequantur.

Ut hoc vero salutis sacramentum reapse vim suam in Christi fidelibus exerceat, necesse est ut in tota eorum vita veluti radices agat et ad ferventius Dei fratrumque servitium impellat.

Huius ergo sacramenti celebratio semper est actus quo Ecclesia fidem suam proclamat, gratias Deo agit pro libertate qua Christus nos liberavit[38] et vitam suam ut sacrificium spiritale offert in laudem gloriæ Dei properans in occursum Christi.

III

DE OFFICIIS ET MINISTERIIS IN RECONCILIATIONE PÆNITENTIUM

De munere communitatis in celebratione pænitentiæ.

8. Tota Ecclesia, utpote populus sacerdotalis, in opere reconciliationis exercendo quod ipsi a Domino concreditum est diversimode operatur. Non solum enim per verbi Dei prædicationem ad pænitentiam vocat, sed etiam pro peccatoribus intercedit et pænitenti materna cura ac sollicitudine subvenit, ut peccata sua agnoscat et confiteatur, atque misericordiam a Deo, qui solus potest peccata dimittere, consequatur. Sed amplius ipsa Ecclesia fit instrumentum conversionis et absolutionis pænitentis per ministerium a Christo Apostolis eorumque successoribus traditum.[39]

9. De ministro sacramenti Pænitentiæ

a) Ministerium sacramenti Pænitentiæ Ecclesia exercet per Episcopos atque Presbyteros, qui fideles per prædicationem verbi Dei ad conversionem vocant, eisque remissionem peccatorum in nomine Christi et in virtute Spiritus Sancti testantur et impertiunt.

[37] Cf. *2 Cor* 4, 10.
[38] Cf. *Gal* 4, 31.
[39] Cf. *Mt* 18, 18; *Io* 20, 23.

In hoc ministerio exsequendo, Presbyteri in communione cum Episcopo agunt et de eius potestate ac munere participant qui est moderator disciplinæ pænitentialis.[40]

b) Minister competens pro sacramento Pænitentiæ est sacerdos habens facultatem absolvendi iuxta canonicas leges. Omnes tamen sacerdotes, licet ad confessiones excipiendas non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet pænitentes in periculo mortis constitutos.

10. De exercitio pastorali huius ministerii

a) Ut confessarius munus suum recte fideliterque implere valeat, morbos animarum dignoscat aptaque eis remedia afferat, et munus iudicis sapienter exerceat, scientiam ac prudentiam ad hoc necessarias sibi acquirat, assiduo studio, sub ductu Magisterii Ecclesiæ, et præsertim fusis ad Deum precibus. Discretio enim spirituum est intima cognitio operis Dei in corde hominum, donum Spiritus Sancti et fructus caritatis.[41]

b) Ad confessiones fidelium excipiendas confessarius se paratum semper præbeat, quotiescumque id a fidelibus rationabiliter petitur.[42]

c) Peccatorem pænitentem suscipiens eumque ad lumen veritatis adducens, paterno munere fungitur, cor Patris hominibus revelans et Christi Pastoris imaginem gestans. Meminerit itaque sibi Christi munus concreditum esse, qui ad salvandos homines opus redemptionis misericordia implevit et virtute sua in sacramentis adest.[43]

d) Confessarius, sciens se uti Dei ministrum secretam fratris sui conscientiam cognovisse, officio sigillum sacramentale sanctissime servandi tenetur.

De ipso pænitente

11. Maximi sunt momenti partes quas ipse fidelis pænitens habet in sacramento.

Quando enim rite dispositus ad hoc salutare remedium a Christo institutum accedit et peccata sua confitetur, actibus suis partem

[40] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium*, n. 26: *AAS* 57 (1965), pp. 31-32.
[41] Cf. *Phil* 1, 9-10.
[42] Cf. S. Congr. pro Doctrina Fidei, *Normæ pastorales circa absolutionem sacramentalem generali modo impertiendam*, 16 iun. 1972, n. XII: *AAS* 64 (1972), p. 514.
[43] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 7: *AAS* 56 (1964), pp. 100-101.

habet in ipso sacramento, quod verbis absolutionis, a ministro in nomine Christi prolatis, perficitur.

Ita fidelis, dum misericordiam Dei in sua vita experitur et proclamat, una cum sacerdote liturgiam Ecclesiæ continenter se renovantis celebrat.

IV

De celebratione sacramenti Pænitentiæ

Locus celebrationis

12. Sacramentum Pænitentiæ administratur in loco et sede, quæ iure statuuntur.

Tempus celebrationis

13. Reconciliatio pænitentium omni tempore ac die celebrari potest. Convenit tamen ut fideles noverint diem ac horam in quibus sacerdos adest ad ministerium hoc exercendum. Fideles ad eum usum adducantur ut extra Missæ celebrationem, præsertim horis statutis, ad sacramentum Pænitentiæ accedant.[44]

Tempus Quadragesimæ quam maxime convenit sacramento Pænitentiæ celebrando, quia iam die cinerum invitatio sollemnis resonat coram populo Dei: « Pænitemini et credite Evangelio ». Decet ergo ut pluries celebrationes pænitentiales in Quadragesima instituantur ut fidelibus omnibus occasio præbeatur se cum Deo et cum fratribus reconciliandi atque paschale mysterium, in sacratissimo triduo, renovato corde celebrandi.

Vestes liturgicæ

14. Quod ad vestes liturgicas in celebratione Pænitentiæ attinet, serventur normæ ab Ordinariis locorum statutæ.

A

Ordo ad reconciliandos singulos pænitentes

Præparatio sacerdotis et pænitentis

15. Sacramento celebrando sacerdos et pænitens oratione imprimis se præparent. Sacerdos quidem Spiritum Sanctum invocet, ut ab eo lucem et caritatem accipiat; pænitens autem vitam suam comparet

[44] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 35; *AAS* 59 (1967), pp. 560-561.

cum exemplo et mandatis Christi, et Deum pro suorum peccatorum remissione deprecetur.

Susceptio pænitentis

16. Sacerdos pænitentem fraterna caritate suscipiat et, si opus est, humanioribus verbis salutet. Deinde pænitens signat se signo crucis, dicens: In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen. Quod et sacerdos una cum illo facere potest. Deinde sacerdos pænitentem ad fiduciam in Deum, brevi formula, invitat. Si pænitens ignotus est confessario, huic opportune condicionem suam indicabit, necnon tempus ultimæ confessionis, difficultates in vita christiana ducenda, et cetera quæ confessario scitu sint utilia ad ministerium suum exercendum.

Lectio verbi Dei

17. Tunc sacerdos, vel ipse pænitens, aliquem textum ex sacra Scriptura pro opportunitate legit, quod etiam in præparatione ad ipsam sacramenti celebrationem fieri potest. Per verbum Dei enim fidelis illuminatur ad peccata sua dignoscenda, ad conversionem vocatur et ad fiduciam in Dei misericordia.

Confessio peccatorum et acceptatio satisfactionis

18. Deinde pænitens peccata sua confitetur, incipiendo, ubi moris est, a formula confessionis generalis: Confíteor. Sacerdos, si opus est, eum adiuvet ad integram confessionem peragendam; hortetur præterea ut sincere pæniteat de offensionibus Deo illatis; opportunis demum consiliis ei opituletur ad vitam novam incipiendam et, pro necessitate, instruat de officiis vitæ christianæ.

Si vero pænitens damni vel scandali causa fuerit, eum ad propositum congruæ reparationis adducat.

Deinde sacerdos pænitenti satisfactionem imponit, quæ non tantum præteritorum sit expiatio, sed etiam novæ vitæ auxilium et infirmitatis medicina, ideoque gravitati et naturæ peccatorum, quantum fieri possit, respondeat. Quæ satisfactio opportune exercetur oratione, abnegatione sui ipsius, præsertim vero servitio proximi et operibus misericordiæ quibus in luce ponitur peccatum eiusque remissionem aspectum socialem secum ferre.

Oratio pænitentis et absolutio sacerdotis

19. Post hæc pænitens contritionem suam et novæ vitæ propositum per orationem aliquam manifestat qua Dei Patris venia imploretur. Expedit ut oratio ex verbis sacræ Scripturæ composita adhibeatur.

Sacerdos autem, post orationem pænitentis, manibus super caput eius extensis, vel saltem dextera, formulam absolutionis profert in qua essentialia sunt verba: EGO TE ABSÓLVO A PECCÁTIS TUIS, IN NÓMINE PATRIS, ET FÍLII, ET SPÍRITUS SANCTI. Quæ novissima verba dum dicit, sacerdos signum crucis super pænitentem facit. Formula absolutionis (cf. n. 46, p. 27) indicat reconciliationem pænitentis a misericordia Patris procedere; nexum ostendit inter reconciliationem peccatoris et mysterium paschale Christi; Spiritus Sancti munus in remissione peccatorum extollit; demum aspectum ecclesialem sacramenti in luce ponit eo quod reconciliatio cum Deo petitur et datur per ministerium Ecclesiæ.

Proclamatio laudis et pænitentis dimissio

20. Remissione peccatorum accepta, pænitens misericordiam Dei confitetur et gratias Deo agit brevi invocatione ex sacra Scriptura deprompta; deinde sacerdos eum in pace dimittit.

Pænitens autem conversionem suam persequitur et exprimit vita secundum evangelium Christi reformata et amore Dei magis magisque perfusa, nam « caritas operit multitudinem peccatorum » (*1 Pt* 4, 8).

Ritus brevior

21. Quando necessitas pastoralis id suadet, sacerdos potest quasdam partes ritus omittere aut breviare, attamen semper integre servanda sunt: confessio peccatorum et acceptatio satisfactionis, invitatio ad contritionem (n. 44), formula absolutionis et formula dimissionis. Si vero mortis periculum imminet, sufficit ut sacerdos dicat verba essentialia formulæ absolutionis, scilicet: EGO TE ABSÓLVO A PECCÁTIS TUIS, IN NÓMINE PATRIS, ET FÍLII, ET SPÍRITUS SANCTI.

B

Ordo ad reconciliandos plures pænitentes cum confessione et absolutione singulari

22. Ubi plures pænitentes simul congregantur ad reconciliationem sacramentalem obtinendam, convenit ut ad eam per celebrationem verbi Dei præparentur.

Eandem tamen celebrationem participare possunt et alii fideles qui alio tempore ad sacramentum accedent.

Celebratio communis naturam ecclesialem pænitentiæ clarius manifestat. Nam fideles una simul verbum Dei audiunt, quod, misericordiam Dei proclamans, eos ad conversionem invitat, et simul conformitatem vitæ suæ cum eodem verbo Dei perpendunt et mutua oratione

se adiuvant. Postquam unusquisque peccata sua confessus est et absolutionem recepit, omnes simul Deum collaudant ob eius mirabilia in bonum populi patrata quem sanguine Filii sui sibi acquisivit.

Sacerdotes plures adsint, si oportet, qui, locis aptis, singulos fideles audire et reconciliare possint.

Ritus initiales

23. Fidelibus congregatis, pro opportunitate canitur aptus cantus. Deinde sacerdos fideles salutat et ipse vel alius minister eos, si opus est, breviter in celebrationem introducit et de ordine in ea servando edocet. Postea omnes ad orandum invitat et post spatium silentii orationem perficit.

Verbi Dei celebratio

24. Sacramentum Pænitentiæ ab auditione verbi initium sumat oportet, quia Deus per verbum suum ad pænitentiam vocat et ad veram cordis conversionem perducit.

Una vel plures lectiones eligi possunt. Si plures, psalmus vel alius cantus aptus vel spatium silentii interponatur, ut Dei verbum profundius intellegatur atque assensus cordis illi præbeatur. Si una tantum lectio fit, expedit ut ex Evangelio sumatur.

Lectiones eligantur quibus præsertim:

a) vox Dei homines ad conversionem et maiorem semper cum Christo conformitatem revocat;

b) mysterium reconciliationis per mortem et resurrectionem Christi necnon per donum Spiritus Sancti, præ oculis ponitur;

c) iudicium Dei de bono et malo in vita hominum traditur ad conscientiam illuminandam et discutiendam.

25. Homilia, a textu Scripturæ initium sumens, pænitentes ducat ad discussionem conscientiæ, ad aversionem a peccato et ad conversionem ad Deum. In memoriam revocet fidelibus, peccatum contra Deum, contra communitatem et proximum necnon contra peccatorem ipsum agere. Proinde opportune recolantur:

a) Dei infinita misericordia, quæ maior est omnibus iniquitatibus nostris et qua ipse semper nos ad se iterum iterumque revocat;

b) necessitas internæ pænitentiæ, qua sincere disponimur etiam ad reparanda damna peccati;

c) aspectus socialis gratiæ et peccati, quo fit ut actus singulorum quodammodo in totum corpus Ecclesiæ redundent;

d) opus nostræ satisfactionis, quæ ex satisfactione Christi vim accipit, et exigit præprimis, præter opera pænitentiæ, exercitium veræ caritatis erga Deum et proximum.

26. Homilia peracta, opportunum præbeatur tempus silentii ad examen conscientiæ peragendum et ad veram peccatorum contritionem excitandam. Presbyter ipse vel diaconus vel alius minister fideles adiuvare potest brevibus sententiis vel prece litanica, attenta eorum condicione, ætate, etc.

Si opportunum visum fuerit, hæc communis discussio conscientiæ atque contritionis excitatio, substitui potest pro homilia; sed, hoc in casu, clare a textu sacræ Scripturæ antea lecto exordium sumere debet.

Ritus reconciliationis

27. Invitante deinde diacono vel alio ministro, omnes genuflectunt vel se inclinant et formulam confessionis generalis dicunt (ex. gr. Confíteor); postea stantes, pro opportunitate, orationem litanicam recitant vel cantum aptum proferunt, quæ confessionem peccatorum, contritionem cordis, petitionem remissionis necnon fiduciam in Dei misericordia exprimant. In fine dicitur oratio dominica, quæ numquam omittitur.

28. Dicta oratione dominica, sacerdotes ad loca pro confessionibus audiendis statuta se conferunt. Pænitentes qui confessionem peccatorum facere cupiunt, ad sacerdotem quem elegerint accedunt, et, congrua satisfactione accepta, ab eodem absolvuntur formula pro uno pænitente reconciliando.

29. Confessionibus expletis, sacerdotes ad presbyterium redeunt. Qui celebrationi præest omnes ad gratiarum actionem invitat, qua fideles Dei misericordiam confitentur. Quod per psalmum vel hymnum vel etiam per precem litanicam fieri potest. Postremo sacerdos oratione celebrationem concludit, Deum laudans propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos.

Dimissio populi

30. Gratiarum actione peracta, sacerdos fideles benedicit. Deinde diaconus vel ipse sacerdos cœtum dimittit.

C

Ordo ad reconciliandos pænitentes cum confessione et absolutione generali

De disciplina absolutionis generalis

31. Individualis et integra confessio atque absolutio manent unicus modus ordinarius, quo fideles se cum Deo et Ecclesia reconciliant, nisi impossibilitas physica vel moralis ab huiusmodi confessione excuset.

Fieri enim potest, ob particularia rerum adiuncta quandoque occurrentia, ut absolutionem pluribus pænitentibus, sine prævia individuali confessione, generali modo impertire liceat vel etiam oporteat.

Præter casus in quibus agitur de mortis periculo, licet sacramentaliter absolvere una simul plures fideles generice tantum confessos, sed apte ad pænitentiam revocatos, si accedat gravis necessitas, nimirum quando, attento pænitentium numero, confessariorum copia præsto non est ad rite audiendas singulorum confessiones intra congruum tempus, ita ut pænitentes — absque sua culpa — gratia sacramentali, vel sacra communione diu carere cogantur. Quod evenire potest, præsertim in terris missionum, sed in aliis etiam locis, necnon apud cœtus personarum, in quibus de illa necessitate constat.

Hoc vero non licet, cum confessarii præsto esse possunt, propter solum magnum concursum pænitentium, qualis verbi gratia potest haberi in magna aliqua festivitate aut peregrinatione.[45]

32. Iudicium ferre an adsint condiciones, de quibus supra, ac proinde decernere quando liceat absolutionem sacramentalem generali modo conferre, reservatur Episcopo diœcesano, collatis consiliis cum ceteris membris Conferentiæ Episcopalis.

Præter casus ab Episcopo diœcesano statutos, si qua alia gravis necessitas oriatur sacramentalem absolutionem una pluribus impertiendi, sacerdos antea recurrere debet, quoties fieri possit, ad loci Ordinarium, ut absolutionem licite impertiat; secus, de huiusmodi necessitate ac de data absolutione eundem Ordinarium quam primum certiorem faciat.[46]

33. Ad fideles quod attinet, ut frui possint sacramentali absolutione una simul pluribus data, requiritur omnino, ut sint apte dispo-

[45] S. Congr. pro Doctrina Fidei, *Normæ pastorales circa absolutionem sacramentalem generali modo impertiendam*, 16 iunii 1972, n. III: *AAS* 64 (1972), p. 511.

[46] *Ibid.*, n. V: *l. c.*, p. 512.

siti, seu ut unumquemque pæniteat admissorum suorum, isque a peccatis abstinere proponat, scandala et damna forte illata reparare statuat et simul proponat singillatim confiteri debito tempore peccata gravia, quæ in præsens ita confiteri nequeat. De his dispositionibus atque condicionibus, ad valorem sacramenti requisitis, fideles a sacerdotibus diligenter moneantur.[47]

34. Ii, quibus communi absolutione gravia peccata remittuntur, ad confessionem auricularem accedant, antequam novam huiusmodi absolutionem sint recepturi, nisi iusta causa impediantur. Omnino autem debent, nisi obstet moralis impossibilitas, accedere ad confessarium infra annum. Viget enim etiam pro ipsis præceptum, quo omnis christifidelis debet cuncta peccata sua, utique gravia, quæ singillatim adhuc confessus non fuerit, sacerdoti solus confiteri saltem semel in anno.[48]

Ritus absolutionis generalis

35. Ad reconciliandos pænitentes cum confessione et absolutione generali in casibus a iure statutis, omnia fiunt sicut supra de celebratione reconciliationis pro pluribus pænitentibus cum confessione et absolutione singulari dictum est, iis tantum mutatis quæ sequuntur.

a) Homilia expleta, vel in ipsa homilia, moneantur fideles qui absolutione generali frui volunt, ut se apte disponant, seu ut unumquemque pæniteat admissorum suorum, isque a peccatis abstinere proponat, scandala et damna forte illata reparare statuat et simul proponat singillatim confiteri debito tempore peccata gravia, quæ in præsens ita confiteri nequeat;[49] satisfactio quædam insuper proponatur omnibus facienda, cui singuli aliquid addere poterunt, si voluerint.

b) Deinde diaconus, vel alius minister, vel ipse sacerdos, pænitentes invitet qui absolutionem recipere volunt ut aliquo signo se illam petere profiteantur (v. gr. caput inclinando, vel genua flectendo, vel per aliud signum secundum normas a Conferentiis Episcopalibus statutas) formulam confessionis generalis simul dicentes (v. gr. Confíteor), post quam prex litanica vel cantus pænitentialis fieri potest, et oratio dominica simul ab omnibus dicitur vel canitur, sicut supra, n. 27, dictum est.

c) Tunc sacerdos invocationem enuntiat qua gratia Spiritus Sancti petitur in remissionem peccatorum, victoria de peccato per mortem

[47] *Ibid.*, nn. VI et XI: *l. c.*, pp. 512, 514.
[48] *Ibid.*, nn. VII et VIII: *l. c.*, pp. 512-513.
[49] Cf. *ibid.*, n. VI, p. 512.

et resurrectionem Christi proclamatur, et absolutio sacramentalis pænitentibus datur.

d) Postremo sacerdos ad gratiarum actionem invitat, ut supra, n. 29, dictum est, et omissa oratione conclusionis, statim populum benedicit et dimittit.

V

De celebrationibus pænitentialibus

Indoles et structura

36. Celebrationes pænitentiales sunt populi Dei conventus ad verbum Dei audiendum per quod fit invitatio ad conversionem et ad vitæ renovationem necnon nuntium de nostra liberatione a peccato per mortem et resurrectionem Christi. Eorum structura ea est quæ de more in celebrationibus verbi Dei servatur,[50] et quæ in *Ordine ad reconciliandos plures pœnitentes proponitur.*

Convenit, ergo, ut post ritum initii (cantum, salutationem et orationem) una vel plures lectiones e sacra Scriptura proferantur, cantibus vel psalmis vel silentii momentis interpositis, quæ per homiliam fidelibus congregatis explicentur et applicentur. Nihil prohibet quominus sive ante lectiones Scripturæ sive post illas, aliæ aliam lectiones fiant ex Patribus vel scriptoribus qui reapse communitatem et singulos adiuvent ad veram cognitionem peccati et ad veram cordis contritionem, ad conversionem scilicet provocandam.

Post homiliam et meditationem verbi Dei, expedit ut cœtus fidelium uno corde et una voce oret, per precem aliquam litanicam vel alio modo apto ad participationem fidelium promovendam. Postremo semper oratio dominica dicatur ut Deus Pater noster, « dimittat nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ... et liberet nos a malo ». Sacerdos, sive minister qui congregationi præest, concludit cum oratione et populi dimissione.

Utilitas et momentum

37. Caveatur ne hæ celebrationes, in opinione fidelium, cum ipsa sacramenti Pænitentiæ celebratione confundantur.[51] Hæ autem cele-

[50] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, nn. 37-39: *AAS* 56 (1964), pp. 110-111.

[51] Cf. S. Congr. pro Doctrina Fidei, *Normæ pastorales circa absolutionem sacramentalem generali modo impertiendam,* 16 iun. 1972, n. X: *AAS* 64 (1972), pp. 513-514.

brationes pænitentiales perutiles sunt ad conversionem et cordis purificationem promovendam.[52]

Celebrationes pænitentiales convenienter instituuntur præsertim:
— ad spiritum pænitentiæ in communitate christiana fovendum;
— ad fideles adiuvandos in præparatione confessionis quæ postea, temporibus opportunis, a singulis fieri potest;
— ad pueros educandos ut gradatim sibi efforment conscientiam de peccato in vita humana et de liberatione a peccato per Christum;
— ad catechumenos in conversione adiuvandos.

Præterea, ubi nullus sacerdos præsto est ad sacramentalem absolutionem impertiendam, celebrationes pænitentiales utilissimæ sunt, utpote quæ ad contritionem ex caritate perfectam auxilium præbeant, qua fideles in voto pænitentiæ sacramentalis futuræ gratiam Dei consequi possunt.[53]

VI

De aptationibus ritus ad varias regiones et adiuncta

De aptationibus quas Conferentiæ Episcopales facere possunt

38. Conferentiis Episcopalibus competit, in Ritualibus particularibus apparandis, hunc Ordinem Pænitentiæ accommodare singularum regionum necessitatibus, ut, actis ab Apostolica Sede probatis, in regionibus ad quas pertinent, adhibeantur. Qua in re Conferentiarum Episcopalium erit:

a) Normas circa disciplinam sacramenti Pænitentiæ statuere, in iis præsertim quæ ad ministerium sacerdotum et reservationem peccatorum spectant.

b) Normas pressius determinare quoad locum aptum ad ordinariam sacramenti Pænitentiæ celebrationem et quoad signa pænitentiæ a fidelibus exhibenda in absolutione generali (cf. supra n. 35).

c) Versiones textuum parare, quæ uniuscuiusque populi indoli et sermoni vere sint accommodatæ, et etiam novos textus componere pro precibus sive fidelium sive ministri, formula sacramentali integre servata.

[52] *Ibid.*
[53] Cf. Conc. Trid., Sessio XIV, De sacramento Pænitentiæ, cap. 5: DENZ.-SCHÖN. 1677.

De iis quæ ad Episcopum spectant

39. Ad Episcopum diœcesanum pertinet:

a) Disciplinam pænitentiæ in sua diœcesi moderari[54] etiam per opportunas ipsius ritus aptationes secundum normas in ipsa Conferentia Episcopali propositas.

b) Decernere, collatis consiliis cum aliis membris Conferentiæ Episcopalis, quando liceat sub condicionibus a Sancta Sede statutis absolutionem sacramentalem generali modo conferre.[55]

De accommodationibus, quæ ministro competunt

40. Ad presbyteros vero, parochos præsertim, spectat:

a) In celebratione reconciliationis, sive pro singulis sive pro communitate, ritum ad adiuncta concreta pænitentium aptare, servatis structura essentiali et formula integra absolutionis, partes quasdam, si oportet, ob rationes pastorales omittendo, vel uberiores reddendo, textus seligendo sive lectionum sive orationum, locum eligendo ad celebrationem magis accommodatum, iuxta normas a Conferentiis Episcopalibus statutas, ita ut tota celebratio uber simul et fructuosa exsistat.

b) Celebrationes pænitentiales aliquando per annum, præsertim tempore Quadragesimæ, proponere et præparare, aliis, etiam laicis, adiuvantibus, ita ut textus selecti et ordo celebrationis ad condicionem et adiuncta communitatis vel cœtus (ex. gr. puerorum, infirmorum, etc.) vere sint accommodati.

c) In casu gravis necessitatis, ab Episcopo diœcesano non præviso, si recursus ad ipsum impossibile sit, decidere de absolutione sacramentali una simul pluribus impertienda præmissa solummodo confessione generali, cum obligatione tamen de huiusmodi necessitate ac de data absolutione eundem Ordinarium quam primum certiorem faciendi.

[54] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Lumen gentium,* n. 26: *AAS* 57 (1965), pp. 31-32.

[55] Cf. S. Congr. pro Doctrina Fidei, *Normæ pastorales circa absolutionem sacramentalem generali modo impertiendam,* n. V: *AAS* 64 (1972), p. 512.

CAPUT I

ORDO AD RECONCILIANDOS SINGULOS PÆNITENTES

Susceptio pænitentis

41. Cum pænitens ad confitenda peccata sua accedit, sacerdos eum benigne excipit atque humanioribus verbis salutat.

42. Deinde pænitens et, pro opportunitate, etiam sacerdos, signat se signo crucis, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Sacerdos pænitentem ad fiduciam in Deum invitat his vel similibus verbis:

Deus, qui illúxit in córdibus nostris,
det tibi ut in veritáte agnóscas
peccáta tua et suam misericórdiam.

Pænitens respondet:

Amen.

Alii textus ad libitum, nn. 67-71.

Lectio verbi Dei (ad libitum)

43. Tunc sacerdos, pro opportunitate, legit vel memoriter recitat aliquem textum sacræ Scripturæ, quo misericordia Dei annuntiatur et homo ad conversionem vocatur.

Textus inveniuntur nn. 72-84.

Confessio peccatorum et acceptatio satisfactionis

44. Deinde, præmissa, ubi moris est, formula confessionis generalis (ex. gr. Confíteor), pænitens peccata sua confitetur.

Sacerdos, si opus est, pænitentem adiuvat ad integram confessionem peragendam, præbet ei consilia apta, eumque hortatur ad contri-

tionem culparum suarum, in eius memoriam revocans christianum per sacramentum Pænitentiæ, moriendo et resurgendo cum Christo, renovari in paschali mysterio. Deinde ei opus pænitentiæ proponit, quod pænitens accipit ad satisfactionem pro peccato faciendam et ad emendationem vitæ.

Curet sacerdos ut se in omnibus ad condicionem pænitentis accommodet, sive in modo loquendi, sive etiam in consiliis præbendis.

Oratio pænitentis et absolutio

45. Deinde sacerdos pænitentem ad contritionem suam manifestandam invitat, quod pænitens potest facere his vel similibus verbis:

Deus meus, ex toto corde me pǽnitet ac dóleo de ómnibus quæ male egi et de bono quod omísi, quia peccándo offéndi te, summe bonum ac dignum qui super ómnia diligáris.
Fírmiter propóno, adiuvánte grátia tua, me pæniténtiam ágere, de cétero non peccatúrum peccatíque occasiónes fugitúrum.
Per mérita passiónis Salvatóris nostri Iesu Christi, Dómine, miserére.

Alii textus ad libitum, nn. 85-92.

46. Tunc sacerdos, manibus super caput pænitentis extensis (vel saltem manu dextera extensa), dicit:

Deus, Pater misericordiárum,
qui per mortem et resurrectiónem Fílii sui
mundum sibi reconciliávit
et Spíritum Sanctum effúdit in remissiónem peccatórum,
per ministérium Ecclésiæ
indulgéntiam tibi tríbuat et pacem.
Et EGO TE ABSÓLVO A PECCÁTIS TUIS
IN NÓMINE PATRIS, ET FÍLII, ✠ ET SPÍRITUS SANCTI.

Pænitens respondet:

Amen.

Proclamatio laudis Dei et pænitentis dimissio

47. Post absolutionem, sacerdos prosequitur:

Confitémini Dómino quóniam bonus.

Pænitens concludit:

Quóniam in sǽculum misericórdia eius.

Deinde sacerdos pænitentem reconciliatum dimittit, dicens:

Dóminus dimísit peccáta tua. Vade in pace.

Alii textus ad libitum, n. 93.

Caput II

ORDO AD RECONCILIANDOS PLURES PÆNITENTES CUM CONFESSIONE ET ABSOLUTIONE SINGULARI

Ritus initiales

48. Cantus

Fidelibus congregatis, dum sacerdos ingreditur ecclesiam, canitur, pro opportunitate, psalmus aut antiphona vel alius cantus aptus, ex. gr.:

Exáudi nos, Dómine,
quóniam benígna est misericórdia tua.
Secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum
réspice nos, Dómine.

Vel:

Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ,
ut misericórdiam consequámur,
et grátiam inveniámus
in auxílio opportúno.

49. Salutatio

Cantu expleto, sacerdos salutat astantes, dicens:

Grátia vobis, misericórdia et pax a Deo Patre
et Christo Iesu Salvatóre nostro.

℟. Et cum spíritu tuo.

Vel:

Grátia vobis et pax a Deo Patre
et a Iesu Christo qui diléxit nos
et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo.

℟. Ipsi glória in sǽcula sæculórum. Amen.

Alii textus ad libitum, nn. 94-96.

Deinde ipse sacerdos vel alius minister brevi monitione astantes edocet de momento et ratione celebrationis necnon de ordine in ea servando.

50. Oratio

Postea sacerdos omnes ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Orémus, fratres, ut Deus, qui ad conversiónem nos révocat, grátiam veræ et fructuósæ pæniténtiæ nobis tríbuat.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant. Deinde sacerdos orationem dicit:

Exáudi, quǽsumus, Dómine, súpplicum preces,
et confiténtium tibi parce peccátis,
ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Vel:

Pone, Dómine, Spíritum tuum in médio nostri,
qui mundis nos aquis pæniténtiæ lavans,
prǽparet nos tibi in hóstiam vivam,
ut, eo vivificánte, te in omni loco
et laudáre gloriósum et misericórdem mereámur confitéri.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Alii textus ad libitum, nn. 97-100.

Verbi Dei celebratio

51. Tunc incipit celebratio verbi. Si plures lectiones fiunt, psalmus vel alius cantus aptus vel etiam tempus silentii interponatur, ut Dei verbum profundius a singulis intellegatur et illi assensus cordis præbeatur. Si una tantum lectio fit, expedit ut ex evangelio sumatur.

PRIMUM EXEMPLUM:

« Plenitudo legis est dilectio »

LECTIO I. Deut 5, 1-3. 6-7. 11-12. 16-21 a; 6, 4-6: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo ».
In diebus illis: Vocavit Moyses omnem Israelem ...

CANTUS RESPONSORIUS. Baruch 1, 15-22.
℟. (3, 2): « Audi, Domine, et miserere, quia Deus es misericors ».

LECTIO II. Eph 5, 1-14: « Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos ».
Fratres: Estote imitatores Dei ...

VERSUS ANTE EVANGELIUM. Io 8, 12: « Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris ».

EVANGELIUM. Mt 22, 34-40: « In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ ».
In illo tempore: Pharisæi audientes quod Iesus silentium imposuisset Sadducæis ...

Vel: Io 13, 34-35; 15, 10-13: « Mandatum novum do vobis ».
In illo tempore: Dixit Iesus Apostolis suis: « Mandatum novum ... ».

SECUNDUM EXEMPLUM:

« Renovamini spiritu mentis vestræ »

LECTIO I. Is 1, 10-18: « Quiescite agere perverse, discite benefacere ».
Audite verbum Domini ...

CANTUS RESPONSORIUS. Ps 50 (præsertim vv. 18-19).
℟. (19 a): « Sacrificium Deo, spiritus contribulatus ».

LECTIO II. Eph 4, 23-32: « Renovamini spiritu mentis vestræ ».
Fratres: Renovari spiritu mentis vestræ ...

VERSUS ANTE EVANGELIUM. Mt 11, 28: « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ».

EVANGELIUM. Mt 5, 1-12: « Beati pauperes spiritu ».
In illo tempore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem ...

Alii textus ad libitum, nn. 101-201.

52. Homilia

Sequitur homilia, quæ a textu lectionum initium sumens, perducat pænitentes ad discussionem conscientiæ et ad renovationem vitæ.

53. Examen conscientiæ

Opportune servatur tempus aliquod silentii ad examen conscientiæ peragendum et ad veram peccatorum contritionem excitandam. Sacerdos, vel diaconus, vel alius minister, potest fideles adiuvare brevibus sententiis, vel aliqua prece litanica, attenta eorum condicione, ætate, etc.

Ritus reconciliationis

54. Confessio peccatorum generalis

Invitante diacono, vel alio ministro, omnes genuflectunt vel se inclinant, et simul formulam confessionis generalis dicunt (ex. gr. Confíteor); deinde stantes, pro opportunitate, orationem litanicam vel cantum aptum proferunt. In fine additur oratio dominica, quæ numquam omittitur.

PRIMUM EXEMPLUM

Diaconus vel minister:

Fratres, confitémini peccáta vestra,
et oráte pro ínvicem ut salvémini.

Omnes simul dicunt:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Diaconus vel minister:

Misericordiárum Dóminum supplíciter deprecémur,
ut qui confiténtium corda puríficat,
et accusántes se ab omni vínculo iniquitátis absólvit,
indulgéntiam concédat reis et medicínam tríbuat vulnerátis.

— Ut veræ pæniténtiæ grátiam nobis tríbuas.

℟. Te rogámus, audi nos.

— Ut fámulis tuis véniam dare et præteritórum críminum débita relaxáre dignéris.

℟. Te rogámus, audi nos.

— Ut fílii tui, qui ab Ecclésiæ sanctæ integritáte deviavérunt peccándo, admissórum véniam consequéndo, ei reddántur innóxii.

℟. Te rogámus, audi nos.

— Ut quorum baptísmum peccáti mácula deturpávit ad prístinam rédeant claritátem.

℟. Te rogámus, audi nos.

— Ut sacris altáribus tuis restitúti, spe ætérnæ glóriæ reforméntur.

℟. Te rogámus, audi nos.

— Ut in sacraméntis tuis sincéra deínceps devotióne permáneant tibíque semper Dómino váleant adhærére.

℟. Te rogámus, audi nos.

— Ut tua caritáte renováti, testes fiant tuæ dilectiónis in mundo.

℟. Te rogámus, audi nos.

— Ut in mandátis tuis fidéliter persevérent et vitam in futúrum sine fine possídeant.

℟. Te rogámus, audi nos.

Diaconus vel minister:

Deum Patrem nostrum verbis ipsis quæ Christus nos dócuit nunc precémur, ut peccáta nostra dimíttat et nos ab omni líberet malo:

Omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Sacerdos concludit:

Adésto, Dómine, fámulis tuis,
ut qui se peccatóres in Ecclésia tua confiténtur,
per eam ab omni peccáto liberáti,
grátias tibi reférre, renováto corde, mereántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Secundum exemplum

Diaconus vel minister:

Benignitátem Dei Patris nostri recoléntes, confiteámur, fratres, peccáta nostra, ut eius misericórdiam consequámur.

Omnes simul dicunt:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Diaconus vel minister:

Christum Salvatórem nostrum,
quem habémus advocátum iustum apud Patrem,
humíliter deprecémur, ut dimíttat nobis peccáta nostra,
et emúndet nos ab omni iniquitáte.

— Qui evangelizáre paupéribus missus es et sanáre contrítos corde.

℟. Dómine, propítius esto mihi peccatóri.
Vel: Dómine, miserére.

— Qui non iustos vocáre venísti, sed peccatóres.

℟. Dómine, propítius esto mihi peccatóri.
Vel: Dómine, miserére.

— Qui ei multa remisísti quæ diléxit et multum.

℟. Dómine, propítius esto mihi peccatóri.
Vel: Dómine, miserére.

— Qui cum publicánis et peccatóribus conversári non recusásti.

℟. Dómine, propítius esto mihi peccatóri.
Vel: Dómine, miserére.

— Qui úmeris tui ovem pérditam reduxísti ad caulas.

℟. Dómine, propítius esto mihi peccatóri.
Vel: Dómine, miserére.

— Qui adúlteram non condemnásti, sed in pace abíre fecísti.

℟. Dómine, propítius esto mihi peccatóri.
Vel: Dómine, miserére.

— Qui Zacchǽum publicánum ad conversiónem et novam vitam vocásti.

℟. Dómine, propítius esto mihi peccatóri.
Vel: Dómine, miserére.

— Qui latróni contríto paradísum promisísti.

℟. Dómine, propítius esto mihi peccatóri.
Vel: Dómine, miserére.

— Qui ad déxteram Patris sedens, semper vivis ad interpellándum pro nobis.

℟. Dómine, propítius esto mihi peccatóri.
Vel: Dómine, miserére.

Diaconus vel minister:

Nunc, sicut Christus ipse nobis mandávit, Patrem simul deprecémur, ut, dimitténtibus nobis altérutrum débita nostra, ipse nobis peccáta nostra dimíttat:

Omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Sacerdos concludit:

Deus, qui fragilitáti nostræ cóngrua subsídia præparásti, concéde, quǽsumus,

ut suæ reparatiónis effectum,
et cum exsultatióne suscípiat,
et pia conversatióne recénseat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Alii textus ad libitum, nn. 202-205.

55. Confessio et absolutio singularis

Tunc pænitentes adeunt sacerdotes in locis aptis constitutos, eisque peccata sua confitentur et ab eis singillatim, congrua satisfactione imposita et accepta, absolvuntur. Post auditam confessionem necnon, pro opportunitate, post convenientem exhortationem, omissis ceteris quæ in reconciliatione unius pænitentis fieri solent, sacerdos, manibus super caput pænitentis extensis, vel saltem manu dextera, absolutionem impertit dicens:

Deus, Pater misericordiárum,
qui per mortem et resurrectiónem Fílii sui
mundum sibi reconciliávit
et Spíritum Sanctum effúdit in remissiónem peccatórum,
per ministérium Ecclésiæ
indulgéntiam tibi tríbuat et pacem.
Et EGO TE ABSÓLVO A PECCÁTIS TUIS
IN NÓMINE PATRIS, ET FÍLII, ✠ ET SPÍRITUS SANCTI.

Pænitens respondet:

Amen.

56. Proclamatio laudis pro Dei misericordia

Confessionibus singulorum expletis, sacerdos qui celebrationi præest, habens apud se ceteros sacerdotes, ad gratiarum actionem invitat et ad bona opera hortatur quibus gratia pænitentiæ in vita singulorum et totius communitatis manifestatur. Convenienter igitur ab omnibus canitur psalmus vel hymnus aut fit oratio litanica ad confitendam Dei potentiam et misericordiam. Ex. gr. canticum beatæ Mariæ Virginis, vel Ps 135, vv. 1-9. 13-14. 16. 25-26.

Alii textus ad libitum, n. 206.

57. Oratio conclusionis pro gratiarum actione

Post cantum laudis vel precem litanicam, sacerdos communem orationem concludit:

Deus omnípotens et misericors,
qui hóminem mirabíliter creásti et mirabílius reformásti
et peccántem non déseris,
sed patérno amóre proséqueris:
tu Fílium in mundum misísti
ut passióne sua peccátum et mortem destrúeret
et resurrectióne vitam rédderet nobis et gáudium;
tu Spíritum Sanctum in corda nostra effudísti
ut fílii tui essémus et hærédes;
tu nos iúgiter rénovas sacraméntis salútis
ut a peccáti servitúte liberémur
et in imáginem dilécti Fílii tui
perféctius in dies transformémur.
Tibi grátias ágimus
pro mirabílibus misericórdiæ tuæ
et cum tota Ecclésia te laudámus,
cánticum novum tibi canéntes
voce, corde et ópere.
Tibi glória, per Christum, in Spíritu Sancto
nunc et semper.

Omnes:

Amen.

Vel:

Pater sancte,
qui nos ad imáginem Fílii tui reformásti,
tríbue, quǽsumus,
ut misericórdiam consecúti
signum tui amóris efficiámur in mundo.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Alii textus ad libitum, nn. 207-211.

Ritus conclusionis

58. Tunc sacerdos omnes benedicit dicens:

Dóminus dírigat corda vestra in caritáte Dei
et patiéntia Christi.

Omnes:

Amen.

Ut possítis ambuláre in novitáte vitæ
et placére Deo per ómnia.

Omnes:

Amen.

Et benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes:

Amen.

Alii textus ad libitum, nn. 212-214.

59. Postea diaconus, vel alius minister vel ipse sacerdos, cœtum dimittit:

Dóminus dimísit peccáta vestra. Ite in pace.

Omnes:

Deo grátias.

Vel alia formula apta.

Caput III

ORDO AD RECONCILIANDOS PLURES PÆNITENTES CUM CONFESSIONE ET ABSOLUTIONE GENERALI

60. Ad reconciliandos plures pænitentes cum confessione et absolutione generali in casibus iure prævisis, omnia fiunt ut supra de celebratione reconciliationis pro pluribus pænitentibus cum confessione et absolutione singulari dictum est, iis tantum mutatis quæ sequuntur.

Monitio

Homilia expleta, vel in ipsa homilia, moneantur fideles qui absolutionem generalem recipere volunt, ut apte se disponant, seu ut unumquemque pæniteat admissorum suorum isque a peccatis abstinere proponat, scandala et damna forte illata reparare statuat et simul proponat singillatim confiteri debito tempore peccata gravia, quæ in præsens ita confiteri nequeat; satisfactio quædam insuper proponatur omnibus facienda, cui singuli aliquid addere poterunt, si voluerint.

Confessio generalis

61. Deinde diaconus vel alius minister vel ipse sacerdos pænitentes invitat qui absolutionem recipere volunt, ut aliquo signo se illam petere profiteantur. Ex. gratia:

Qui nunc sacramentálem absolutiónem recípere volunt, flectant génua et confessiónem generálem fáciant.

Vel:

Qui nunc sacramentálem absolutiónem recípere volunt, inclinántes se fáciant confessiónem generálem.

Vel aliud signum proponat secundum normas a Conferentiis Episcopalibus statutas.

Pænitentes formulam confessionis generalis dicunt (v. gr. Confíteor), post quam prex litanica vel cantus aptus fieri possunt, ut supra de reconciliatione plurium pænitentium cum confessione et absolutione singulari dictum est (n. 54). In fine semper additur oratio dominica.

Absolutio generalis

62. Tunc sacerdos absolutionem impertit, dicens, manibus super pænitentes extensis:

Deus Pater,
qui non vult mortem peccatóris,
sed ut convertátur et vivat,
quique prior diléxit nos
et misit Fílium suum in mundum
ut salvétur mundus per ipsum
osténdat vobis misericórdiam suam
et det vobis pacem.

℟. Amen.

Dóminus Iesus Christus,
qui tráditus est propter delícta nostra
et resurréxit propter iustificatiónem nostram,
quique in Apóstolos suos Spíritum Sanctum effúdit
ut accíperent potestátem dimitténdi peccáta,
ipse per ministérium nostrum líberet vos a malo
et ímpleat Spíritu Sancto.

℟. Amen.

Spíritus Paráclitus,
qui datus est nobis in remissiónem peccatórum
et in quo habémus accéssum ad Patrem,
puríficet corda vestra
et suo fulgóre irrádiet
ut virtútes annuntiétis eius
qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum.

℟. Amen.

Et EGO VOS ABSÓLVO A PECCÁTIS VESTRIS
IN NÓMINE PATRIS, ET FÍLII, ✠ ET SPÍRITUS SANCTI.

℟. Amen.

Vel:

Deus, Pater misericordiárum,
qui per mortem et resurrectiónem Fílii sui
mundum sibi reconciliávit
et Spíritum Sanctum effúdit in remissiónem peccatórum,
per ministérium Ecclésiæ
indulgéntiam vobis tríbuat et pacem.
ET EGO VOS ABSÓLVO A PECCÁTIS VESTRIS
IN NÓMINE PATRIS, ET FÍLII, ✠ ET SPÍRITUS SANCTI.

℟. Amen.

63. Proclamatio laudis et conclusio

Deinde sacerdos omnes ad gratiarum actionem invitat atque ad Dei misericordiam confitendam, et, post cantum aptum vel hymnum, omissa oratione conclusionis, statim populum benedicit et dimittit, ut in Ordine ad reconciliandos plures pænitentes cum confessione et absolutione singulari indicatur, nn. 58-59.

RITUS BREVIOR

64. Si necessitas urgeat, poterit Ordo ad reconciliandos plures pænitentes cum confessione et absolutione generali opportune breviari. Tunc, facta, pro opportunitate, quadam brevi lectione ex sacra Scriptura, et post solitam monitionem (supra n. 60) et impositionem satisfactionis, pænitentes statim invitantur ad confessionem generalem faciendam (v. gr. Confíteor), et sacerdos illis absolutionem impertit cum invocatione supra n. 62 indicata.

65. Imminenti vero mortis periculo, sufficit ut sacerdos formulam absolutionis adhibeat, quæ hoc in casu sic breviari potest:

EGO VOS ABSÓLVO A PECCÁTIS VESTRIS
IN NÓMINE PATRIS, ET FÍLII, ✠ ET SPÍRITUS SANCTI.

℟. Amen.

66. Fidelis qui, per sacramentalem absolutionem generali modo datam, a peccatis gravibus absolutus fuerit, officio tenetur illa singillatim confitendi in prima quam instituet confessione individuali.

Caput IV

TEXTUS VARII IN CELEBRATIONE RECONCILIATIONIS ADHIBENDI

I. PRO RECONCILIATIONE UNIUS PÆNITENTIS

Invitatio ad fiduciam in Deo

67. Accéde cum fidúcia ad Dóminum
qui non vult mortem peccatóris,
sed ut convertátur et vivat. (Ez 33, 11)

68. Suscípiat te Dóminus Iesus,
qui non venit vocáre iustos sed peccatóres.
Illi confíde. (Lc 5, 32)

69. Spíritus Sancti grátia
illúminet cor tuum,
ut cum fidúcia confiteáris peccáta tua
et cognóscas misericórdiam Dei.

70. Dóminus sit in corde tuo,
ut ánimo contríto confiteáris peccáta tua.

71. Si peccásti, noli fidúciam amíttere:
advocátum habémus apud Patrem, Iesum Chrístum iustum:
et ipse est propitiátio pro peccátis nostris,
non pro nostris autem tantum,
sed étiam pro totíus mundi. (1 Io 2, 1-2)

Lectiones breves ex sacra Scriptura

72. Respiciámus in Iesum,
qui passus est propter salútem nostram
et resurréxit propter nostram iustificatiónem:

Is 53, 4-6.

Vere languóres nostros ipse tulit et dolóres nostros ipse portávit, et nos putávimus eum quasi leprósum et percússum a Deo et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, disciplína pacis nostræ super eum, et livóre eius sanáti sumus. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit, et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum.

73. Ez 11, 19-20:

Audiámus Dóminum nobis dicéntem:

« Dabo eis cor unum, et spíritum novum tríbuam in viscéribus eórum, et áuferam cor lapídeum de carne eórum et dabo eis cor cárneum, ut in præcéptis meis ámbulent et iudícia mea custódiant faciántque ea, et sint mihi in pópulum, et ego sim eis in Deum ».

74. Mt 6, 14-15:

Audiámus Dóminum nobis dicéntem:

« Si enim dimiséritis homínibus peccáta eórum,
dimíttet et vobis Pater vester cæléstis;
si autem non dimiséritis homínibus,
nec Pater vester dimíttet peccáta vestra ».

75. Mc 1, 14-15:

Postquam tráditus est Ioánnes,
venit Iesus in Galilǽam prǽdicans Evangélium Dei
et dicens:
« Implétum est tempus
et appropinquávit Regnum Dei:
pænitémini et crédite Evangélio ».

76. Lc 6, 31-38:

Audiámus Dóminum nobis dicéntem:

« Prout vultis ut fáciant vobis hómines,
fácite illis simíliter.

Et si diligitis eos qui vos díligunt, quæ vobis est grátia?
Nam et peccatóres diligéntes se díligunt.
Et si bene fecéritis his qui vobis bene fáciunt,
quæ vobis est grátia?
Síquidem et peccatóres idem fáciunt.
Et si mútuum dedéritis his a quibus sperátis recípere,
quæ vobis grátia est?
Nam et peccatóres peccatóribus fænerántur
ut recípiant æquália.
Verúmtamen dilígite inimícos vestros et bene fácite
et mútuum date nihil desperántes;
et erit merces vestra multa,
et éritis fílii Altíssimi,
quia ipse benígnus est super ingrátos et malos.
Estóte misericórdes,
sicut et Pater vester misericors est.
Et nolíte iudicáre, et non iudicabímini;
et nolíte condemnáre, et non condemnabímini.
Dimíttite, et dimittémini;
date, et dábitur vobis:
mensúram bonam, confértam, coagitátam,
supereffluéntem dabunt in sinum vestrum;
eádem quippe mensúra qua mensi fuéritis, remetiétur vobis ».

77. Lc 15, 1-7:

Erant appropinquántes Iesu omnes publicáni et peccatóres
ut audírent illum.
Et murmurábant Pharisǽi et scribæ dicéntes:
« Hic peccatóres récipit et mandúcat cum illis ».
Et ait ad illos parábolam istam dicens:
« Quis ex vobis homo qui habet centum oves
et si perdíderit unam ex illis,
nonne dimíttit nonagínta novem in desérto
et vadit ad illam quæ períerat donec invéniat illam?

Et cum invénerit eam impónit in úmeros suos gaudens,
et véniens domum cónvocat amícos et vicínos, dicens illis:
Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam quæ períerat.
Dico vobis:
Ita gáudium erit in cælo
super uno peccatóre pæniténtiam agénte
quam super nonagínta novem iustis
qui non índigent pæniténtia.

78. Io 20, 19-23:

Cum esset sero die illo prima sabbatórum,
et fores essent clausæ ubi erant discípuli
propter metum Iudæórum,
venit Iesus et stetit in médio et dicit eis:
« Pax vobis ».
Et hoc cum dixísset, osténdit eis manus et latus.
Gavísi sunt ergo discípuli viso Dómino.
Dixit ergo eis íterum:
« Pax vobis:
sicut misit me Pater, et ego mitto vos ».
Et cum hoc dixísset, insufflávit et dicit eis:
« Accípite Spíritum Sanctum:
quorum remiséritis peccáta, remíssa sunt eis,
quorum retinuéritis, reténta sunt ».

79. Rom 5, 8-9:

Comméndat suam caritátem Deus in nos,
quóniam cum adhuc peccatóres essémus
Christus pro nobis mórtuus est.
Multo ígitur magis iustificáti nunc in sánguine ipsíus,
salvi érimus ab ira per ipsum.

80. Eph 5, 1-2:

Estóte imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi,
et ambuláte in dilectióne,

sicut et Christus diléxit nos
et trádidit se ipsum pro nobis
oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis.

81. Col 1, 12-14:

Grátias agámus Patri,
qui idóneos vos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine;
qui erípuit nos de potestáte tenebrárum
et tránstulit in Regnum Fílii dilectiónis suæ,
in quo habémus redemptiónem,
remissiónem peccatórum.

82. Col 3, 8-10. 12-17:

Nunc depónite et vos ómnia,
iram, indignatiónem, malítiam,
blasphémiam, turpem sermónem de ore vestro;
nolíte mentíri ínvicem,
qui exuístis vos véterem hóminem cum áctibus eius,
et induístis novum,
eum qui renovátur in agnitiónem
secúndum imáginem eius qui creávit eum.
Indúite vos ergo sicut elécti Dei, sancti et dilécti,
víscera misericórdiæ,
benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam,
supportántes ínvicem
et donántes vobis ipsis
si quis advérsus áliquem habet querélam;
sicut et Dóminus donávit vobis,
ita et vos;
super ómnia autem hæc caritátem,
quod est vínculum perfectiónis.
Et pax Christi dominétur in córdibus vestris,
ad quam et vocáti estis in uno córpore;
et grati estóte.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter,
in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos
psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus,
in grátia cantántes in córdibus vestris Deo;
et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere,
ómnia in Nómine Dómini Iesu,
grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

83. 1 Io 1, 6-7. 9:

Si dixérimus quóniam communiónem habémus cum eo
et in ténebris ambulámus,
mentímur et non fácimus veritátem;
si autem in luce ambulémus sicut ipse est in luce,
communiónem habémus ad ínvicem
et sanguis Iesu Fílii eius mundat nos ab omni peccáto.
Si confiteámur peccáta nostra,
fidélis est et iustus ut remíttat nobis peccáta
et emúndet nos ab omni iniustítia.

84. Poterunt et lectiones sumi quæ pro celebratione reconciliationis pro pluribus pænitentibus infra proponentur, nn. 101-201. Item ad libitum sacerdotis et pænitentis aliæ lectiones ex sacra Scriptura adhiberi possunt.

Oratio pænitentis

85. Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,
et misericordiárum tuárum, quóniam a sǽculo sunt.
Peccáta et delícta mea ne memíneris,
secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu,
propter bonitátem tuam, Dómine. (Ps 24, 6-7)

86. Lava me, Dómine, ab iniquitáte mea,
et a peccáto meo munda me;
quóniam iniquitátem meam ego cognósco,
et peccátum meum contra me est semper. (Ps 50, 4-5)

87. Pater, peccávi coram te,
étiam non sum dignus vocári fílius tuus.
Propítius esto mihi peccatóri. (Lc 15, 18; 18, 13)

88. Deus, Pater clementíssime,
ut pǽnitens fílius ad te convérsus dico:
« Peccávi advérsum te;
iam non sum dignus vocári fílius tuus ».
Christe Iesu, Salvátor mundi,
ut latro cui Paradísi portas aperuísti, rogo te:
« Meménto mei, Dómine, in regno tuo ».
Sancte Spíritus, fons amóris,
te fidénter ínvoco:
« Purífica me;
da ut fílium lucis me ambuláre ».

89. Dómine Iesu,
qui óculos cæcórum aperuísti, infírmos sanásti,
peccatrícem absolvísti et, post culpam,
Petrum in amóre tuo confirmásti,
súscipe deprecatiónem meam:
ómnia peccáta mea dimítte,
amórem tuum in me rénova,
da mihi in unitáte fraternitátis perfécte vívere
ut salútem tuam homínibus váleam nuntiáre.

90. Dómine Iesu,
qui amícus peccatórum appellári voluísti,
per mortis et resurrectiónis tuæ mystérium
líbera me a peccátis meis.
Pax tua in me vígeat,
ut áfferam fructus caritátis, iustítiæ et veritátis.

91. Dómine Iesu Christe,
Agnus Dei qui tollis peccátum mundi,

per Spíritus Sancti grátiam
me Patri tuo reconciliáre dignéris;
in sánguine tuo áblue me ab omni culpa,
et hóminem vivum éffice ad laudem glóriæ tuæ.

92. Miserére mei, Deus,
secúndum misericórdiam tuam;
avérte fáciem tuam a peccátis meis,
et omnes iniquitátes meas dele;
cor mundum crea in me, Deus,
et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Vel:

Dómine Iesu, Fili Dei,
miserére mei peccatóris.

Post absolutionem

93. Loco proclamationis laudis Dei et formulæ dimissionis, sacerdos dicere potest:

Pássio Dómini nostri Iesu Christi, intercéssio beátæ Maríæ Vírginis et ómnium Sanctórum, quidquid boni féceris et mali sustinúeris, sint tibi in remédium peccatórum, augméntum grátiæ et prǽmium vitæ ætérnæ. Vade in pace.

Vel:

Liberávit te Dóminus a peccáto.
In regno suo cælésti te salvum fáciat.
Ipsi glória in sǽcula. ℟. Amen.

Vel:

Beátus cui remíssa est iníquitas
et obtéctum est peccátum.
Exsúlta, frater, et lætáre in Dómino.
Vade in pace.

Vel:

Vade in pace,
et annúntia in mundo mirabília Dei,
qui te salvum fecit.

II. PRO RECONCILIATIONE PLURIUM PÆNITENTIUM

Textus pro salutatione

94. Sit vobíscum grátia, misericórdia, pax
a Deo Patre et a Iesu Christo Fílio Patris,
in veritáte et caritáte.

℟. Amen.

95. Fratres, adapériat Deus cor vestrum in lege sua
et fáciat pacem;
exáudiat oratiónes vestras
et reconciliétur vobis.

℟. Amen.

96. Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro
et a Dómino Iesu Christo,
qui dedit semet ipsum pro peccátis nostris.
℟. Ipsi glória in sǽcula sæculórum. Amen.

Item adhiberi possunt salutationes quæ pro initio Missæ ponuntur.

Orationes super plebem collectam

97. Ab ómnibus nos, quǽsumus, Dómine,
peccátis propitiátus absólve,
ut percépta vénia peccatórum
líberis tibi méntibus serviámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

98. Dómine Deus noster,
qui offensióne nostra non vínceris,
sed satisfactióne placáris,
réspice, quǽsumus, ad nos fámulos tuos
qui tibi peccásse confitémur:
concéde ut misericórdiæ tuæ sacraménta celebrémus,
et corréctis áctibus nostris
conférri nobis a te sempitérna gáudia gratulémur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

99. Omnípotens et misericors Deus,
qui in nómine Fílii tui nos in unum congregásti,
ut misericórdiam consequámur
et grátiam inveniámus in auxílio opportúno:
áperi óculos nostros ut videámus mala quæ fécimus,
et tange corda nostra ut convertámur ad te in veritáte;
quos peccátum divísit et disgregávit,
cáritas tua íterum ad unitátem redúcat;
quos fragílitas sauciávit,
poténtia tua sanet et múniat;
et quos mors devíxit,
Spíritus tuus ad vitam rénovet;
ut reparáta in nobis caritáte
fúlgeat in opéribus nostris imágo Fílii tui
et omnes hómines,
claritáte eius super fáciem Ecclésiæ resplendénte,
cognóscant quia tu eum misísti,
Iesum Christum, Fílium tuum, Dóminum nostrum.

℟. Amen.

100. Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis,
qui dixísti te conversiónem velle peccatórum et non mortem,
auxiliáre pópulo tuo

ut revertátur ad te et vivat.
Adiuva nos ut verba tua audiéntes
peccáta nostra confiteámur
tibíque de accépta vénia grátias agámus,
et veritátem faciéntes in caritáte
crescámus per ómnia in Christo Fílio tuo,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

Lectiones biblicæ

Lectiones quæ hic proponuntur sunt ad utilitatem pastorum et fidelium selectæ. Pro diversitate et peculiaritate cœtuum possunt et aliæ lectiones eligi.

Lectiones e Vetere Testamento

101. Gen 3, 1-19: « Tulit de fructu illius et comedit ».
Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ ...

102. Gen 4, 1-15: « Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum ».
Adam cognovit uxorem suam Evam ...

103. Gen 18, 17-33: « Dixit Dominus: Non delebo civitates propter decem iustos ».
Dixit Dominus: « Num celare potero ... ».

104. Ex 17, 1-7: « Tentaverunt Dominum dicentes: Estne Dominus in nobis, an non? »
In diebus illis: Profecta omnis multitudo ...

105. Ex 20, 1-21: « Ego sum Dominus Deus tuus ... Non habebis deos alienos ».
Locutus est Dominus ...

106. Deut 6, 4-9: « Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo ».
In diebus illis: Locutus est Moyses populo dicens: « Audi, Israel ... ».

107. Deut 9, 7-19: « Populus tuus deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis ».

In diebus illis: Locutus est Moyses populo dicens: « Memento ... ».

108. Deut 30, 15-20: « Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum ».

Locutus est Moyses populo dicens: « Considera quod hodie ... ».

109. 2 Sam 12, 1-9. 13: « Dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris ».

In diebus illis: Misit Dominus Nathan ad David ...

110. Neh 9, 1-20: « Convenerunt filii Israel in ieiunio, et confitebantur peccata sua ».

In die vigesimo quarto mensis huius ...

111. Sap 1, 1-16: « Diligite iustitiam, quoniam in malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis ».

Diligite iustitiam ...

112. Sap 5, 1-16: « Spes impii tamquam lanugo est quæ a vento tollitur. Iusti autem in perpetuum vivent ».

Stabunt iusti in magna constantia ...

113. Sir 28, 1-7: « Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur ».

Qui vindicari vult a Domino ...

114. Is 1, 2-6. 15-18: « Filios nutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me ».

Audite, cæli, et auribus ...

115. Is 5, 1-7: « Vinea facta est dilecto meo. Et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas ».

Cantabo dilecto meo ...

116. Is 43, 22-28: « Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me ».

Hæc dicit Dominus: « Non me invocasti ... ».

117. Is 53, 1-12: « Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum ».

Quis credidit auditui nostro?...

118. Is 55, 1-11: « Derelinquat impius viam suam, et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, quoniam multus est ad ignoscendum ».

Omnes sitientes, venite ...

119. Is 58, 1-11: « Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies ».

Hæc dicit Dominus: « Clama, ne cesses ... ».

120. Is 59, 1-4. 9-15: « Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum ».

Ecce non est abbreviata manus Domini ...

121. Ier 2, 1-13: « Duo mala fecit populus meus: me derelinquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas ».

Factum est verbum Domini ad me dicens: « Vade ... ».

122. Ier 7, 21-26: « Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus ».

Hæc dicit Dominus exercituum ...

123. Ez 11, 14-21: « Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent ».

Factum est verbum Domini ad me dicens: « Fili hominis ... ».

124. Ez 18, 20-32: « Si impius egerit pænitentiam, vita vivet et non morietur ».

Factus est sermo Domini ad me dicens: «Anima quæ peccaverit ... ».

125. Ez 36, 23-28: « Effundam super vos aquam mundam, et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in præceptis meis ambuletis ».

Hæc dicit Dominus Deus: « Sanctificabo nomen meum ... ».

126. Os 2, 16-25: « Percutiam cum eis fœdus in die illa ».

« Erit in die illa, ait Dominus ... ».

127. Os 11, 1-11: « Portabam eos in bracchiis meis, et nescierunt quod curarem eos ».

Hæc dicit Dominus: « Puer Israel ... ».

128. Os 14, 2-10: « Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum ».

« Convertere, Israel ... ».

129. Ioel 2, 12-19: « Convertimini ad me in toto corde vestro ».

« Nunc ergo, dicit Dominus, ... ».

130. Mich 6, 1-15: « Facere iudicium et diligere misericordiam, et sollicite ambulare cum Deo tuo ».

Audite quæ Dominus loquitur ...

131. Mich 7, 2-7. 18-20: « Revertetur Dominus et miserebitur nostri, et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra ».

Periit sanctus de terra ...

132. Zac 1, 1-6: « Convertimini ad me, et convertar ad vos ».

In mense octavo ...

Psalmi responsorii

133. Ps 12.

℞. (6a): Ego in misericordia tua speravi.

134. Ps 24.

℞. (16a): Respice in me, Domine, et miserere mei.

135. Ps 30, 1-6.

℞. (6b): Redemisti nos, Domine, Deus veritatis.

136. Ps 31.

℟. (5c): Confitebor iniquitatem meam Domino.

137. Ps 35.

℟. (8): Quam pretiosa misericordia tua, Deus!

138. Ps 49, 7-8. 14-23.

℟. (23b): Qui immaculatus est in via,
ostendam illi salutare Dei.

139. Ps 50.

℟. (14a): Redde mihi lætitiam salutaris tui.

140. Ps 72.

℟. (28a): Mihi adhærere Deo bonum est.

141. Ps 89.

℟. (14): Reple nos, Domine, misericordia tua,
et exsultabimus omnibus diebus nostris.

142. Ps 94.

℟. (8a): Utinam hodie vocem Domini audiatis.

143. Ps 118, 1. 10-13. 15-16.

℟. (1): Beati qui ambulant in lege Domini.

144. Ps 122.

℟. (2c): Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.

145. Ps 129.

℟. (7bc): Apud Dominum misericordia
et copiosa apud eum redemptio.

146. Ps 138, 1-18. 23-24.

℟. (23a): Scrutare me, Deus, et scito cor meum.

147. Ps 142, 1-11.

℟. (10): Doce me facere beneplacitum tuum, Deus meus.

Lectiones e Novo Testamento

148. Rom 3, 22-26: « Iustificati gratis per redemptionem quæ est in Christo Iesu ».

Fratres: Iustitia Dei per fidem ...

149. Rom 5, 6-11: « Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus ».

Fratres: Adhuc Christus ...

150. Rom 6, 2b-13: « Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu ».

Fratres: Qui mortui sumus peccato ...

151. Rom 6, 16-23: « Stipendia peccati mors, donum autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro ».

Fratres: Nescitis quoniam ...

152. Rom 7, 14-25: « Infelix ego homo! Quis me liberabit? Gratias Deo per Iesum Christum Dominum nostrum ».

Fratres: Scimus quod Lex ...

153. Rom 12, 1-2. 9-19: « Transformamini renovatione mentis ».

Obsecro vos, fratres, ...

154. Rom 13, 8-14: « Abiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis ».

Fratres: Nemini quicquam debeatis ...

155. 2 Cor 5, 17-21: « Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi ».

Fratres: Si quis in Christo ...

156. Gal 5, 16-24: « Qui sunt Christi Iesu carnem crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ».

Fratres: Spiritu ambulate ...

157. Eph 2, 1-10: «Deus, propter nimiam caritatem suam, cum essemus mortui peccatis convivificavit nos Christo ».

Fratres: Vos cum essetis mortui ...

158. Eph 4, 1-3. 17-32: « Renovari spiritu mentis vestræ, et induere novum hominem ».

Fratres: Obsecro vos ego ...

159. Eph 5, 1-14: « Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate ».

Fratres: Estote imitatores Dei ...

160. Eph 6, 10-18: « Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo ».

Fratres: Confortamini in Domino ...

161. Col 3, 1-10. 12-17: « Si conresurrexistis Christo, quæ sursum sunt quærite. Mortificate ergo membra quæ sunt super terram ».

Fratres: Si conresurrexistis Christo ...

162. Hebr 12, 1-5: « Nondum usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes ».

Fratres: Nos, tantam habentes ...

163. Iac 1, 22-27: « Estote factores verbi, et non auditores tantum ».

Carissimi: Estote factores verbi ...

164. Iac 2, 14-26: « Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? »

Quid proderit, fratres mei ...

165. Iac 3, 1-12: « Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir ».

Nolite plures magistri fieri, fratres mei ...

166. 1 Pt 1, 13-23: « Non corruptibilibus argento vel auro redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi ».

Carissimi: Succincti lumbos mentis vestræ ...

167. 2 Pt 1, 3-11: « Magis satagite ut firmam vestram vocationem et electionem faciatis ».

Carissimi: Quomodo omnia nobis ...

168. 1 Io 1, 5-10; 2, 1-2: « Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus ut remittat nobis peccata et emundet nos ab omni iniustitia ».
Carissimi: Hæc est annuntiatio ...

169. 1 Io 2, 3-11: « Qui odit fratrem suum, in tenebris est ».
Carissimi: In hoc cognoscimus ...

170. 1 Io 3, 1-24: « Nos scimus quoniam transivimus de morte in vitam, quoniam diligimus fratres ».
Carissimi: Videte qualem caritatem ...

171. 1 Io 4, 16-21: « Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo manet ».
Carissimi: Nos cognovimus et credidimus caritati ...

172. Ap 2, 1-5: « Age pænitentiam, et prima opera fac ».
Hæc dicit qui tenet ...

173. Ap 3, 14-22: « Quia tepidus es et nec calidus nec frigidus, incipiam te evomere ex ore meo ».
Hæc dicit Amen, Testis fidelis ...

174. Ap 20, 11-15: « Iudicati sunt singuli secundum opera ipsorum ».
Ego Ioannes vidi thronum magnum ...

175. Ap 21, 1-8: « Qui vicerit hæreditabit hæc, et ero illi Deus et ille erit mihi filius ».
Ego Ioannes vidi cælum novum ...

Lectiones ex Evangelio

176. Mt 3, 1-12: « Pænitentiam agite: appropinquavit enim Regnum cælorum ».
In diebus illis venit Ioannes Baptista ...

177. Mt 4, 12-17: « Pænitentiam agite: appropinquavit enim Regnum cælorum ».
In illo tempore: Cum audisset Iesus quod Ioannes traditus esset ...

178. Mt 5, 1-12: « Videns turbas, ascendit in montem et docebat discipulos suos ».

In illo tempore: Videns turbas, ascendit Iesus in montem ...

179. Mt 5, 13-16: « Sic luceat lux vestra coram hominibus ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: « Vos estis sal terræ ... ».

180. Mt 5, 17-47: « Ego autem dico vobis ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: « Nolite putare quoniam veni solvere Legem ... ».

181. Mt 9, 1-8: « Confide, fili: remittuntur tibi peccata tua ».

In illo tempore: Ascendens Iesus in naviculam transfretavit ...

182. Mt 9, 9-13: « Non veni vocare iustos sed peccatores ».

In illo tempore: Cum transiret Iesus vidit hominem ...

183. Mt 18, 15-20: « Lucratus es fratrem tuum ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: « Si peccaverit in te frater tuus ... ».

184. Mt 18, 21-35: « Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris ».

In illo tempore: Accedens Petrus dixit Iesu: « Domine ...

185. Mt 25, 31-46: « Quamdiu fecistis uni his fratribus meis minimis, mihi fecistis ».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: « Cum venerit Filius hominis ... ».

186. Mt 26, 69-75: « Egressus foras, Petrus flevit amare ».

In illo tempore: Petrus sedebat foris in atrio ...

187. Mc 12, 28-34: « Primum omnium mandatum ».

In illo tempore: Accessit unus de scribis ... interrogavit Iesum: « Quod est ...

188. Lc 7, 36-50: « Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum ».

In illo tempore: Rogabat Iesum quidam de Pharisæis ...

189. Lc 13, 1-5: « Si non pænitentiam egeritis, omnes similiter peribitis ».

Aderant quidam Iesu in tempore nuntiantes illi ...

190. Lc 15, 1-10: « Gaudium erit in cælo super uno peccatore pænitentiam agente ».

In illo tempore: Erant appropinquantes Iesu omnes publicani ...

191. Lc 15, 11-32: « Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit supra collum eius et osculatus est illum ».

In illo tempore: Ait Iesus parabolam istam dicens: « Homo quidam ...

192. Lc 17, 1-4: « Si septies in die peccaverit in te frater tuus, et septies conversus fuerit ad te, dicens: Pænitet me, dimittes illi ».

In illo tempore: Ait Iesus ad discipulos suos: « Impossibile est ... ».

193. Lc 18, 9-14: « Deus, propitius esto mihi peccatori ».

In illo tempore: Dixit Iesus ad quosdam qui in se confidebant ...

194. Lc 19, 1-10: « Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat ».

In illo tempore: Ingressus Iesus perambulabat Iericho ...

195. Lc 23, 39-43: « Hodie mecum eris in paradiso ».

In illo tempore: Unus de his qui pendebant latronibus blasphemabat Iesum dicens ...

196. Io 8, 1-11: « Vade, et amplius iam noli peccare ».

In illo tempore: Iesus perrexit in montem Oliveti ...

197. Io 8, 31-36: « Omnis qui facit peccatum, servus est peccati ».

In illo tempore: Dicebat Iesus ad eos qui crediderunt ei ...

198. Io 15, 1-8: « Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum, et omnem qui fert fructum, purgat eum ut fructum plus afferat ».
In illo tempore: Dixit Iesus Apostolis suis: « Ego sum vitis vera ... ».

199. Io 15, 9-14: « Vos amici mei estis, si faciatis quæ ego præcipio vobis ».
In illo tempore: Dixit Iesus Apostolis suis: « Sicut dilexit me Pater ... ».

200. Io 19, 13-37: « Videbunt in quem transfixerunt ».
In illo tempore: Pilatus adduxit foras Iesum ...

201. Io 20, 19-23: « Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis ».
Cum esset sero die illo prima sabbatorum ...

Invitatio ministri ad confessionem peccatorum generalem instituendam.

202. Si oratio dirigitur ad Patrem:

1

Deum omnipoténtem et misericórdem, qui non vult mortem peccatórum sed ut convertántur et vivant, fratres caríssimi, súpplices deprecémur, ne qui prætérita peccáta deplorámus, futúra mala sentiámus neque iam ultérius lugénda committámus.

℟. *Parce, Dómine; parce pópulo tuo.*

2

Deo cleménti, qui secúndum multitúdinem misericordiárum suárum peccáta pæniténtia delet et prætéritas culpas vénia evácuat, fidénter supplicémus, ut remissiónem sibi ómnium peccatórum tota cordis confessióne poscéntes benígnus exáudiat.

℟. *Te rogámus, audi nos.*

3

Deus Fílium suum propter delícta nostra trádidit et propter iustificatiónem nostram suscitávit. Eum humíliter deprecémur dicéntes:

℟. *Miserére pópuli tui, Dómine.*

4

Deum Patrem nostrum, qui alienátos a se fílios exspéctat et convérsos ampléctitur, deprecémur, ut ad domum suam redeúntes benígne suscípiat.

℟. *Peccávimus, Dómine, sed ne respícias peccáta nostra.*

Vel: *Pater, peccávimus coram te; iam non sumus digni vocári fílii tui.*

5

Deum nostrum, qui quod períerat requírit, quod abiéctum erat redúcit, quod confráctum fúerat álligat, quod infírmum fúerat consólidat, precémur.

℟. *Sana, Dómine, infirmitátes nostras.*

203. Si oratio dirigitur ad Christum:

1

Ut véniam offensiónis Deo illátæ ab eius misericórdia consequámur et simul reconciliatiónem cum Ecclésia quam peccándo vulnerávimus, Iesum Christum peccáti mortísque victórem súpplici prece invocémus.

℟. *Dómine Iesu, salva nos.*

2

Ad Christum, qui propter peccáta nostra et ómnium hóminum voluntárie passiónem suam et mortem imménsa óbiit

caritáte, ut omnes salútem consequántur, fida oratióne ac spe secúra accedámus.

℟. *Christe, exáudi nos.*

3

Christum, Pastórem bonum, qui ovem pérditam quærit et invéntam gaudens súscipit, orémus fidénter.

℟. *Quære et súscipe nos, Dómine.*

4

Fratres, in humilitáte et fidúcia précibus nostris Christum exorémus, qui peccáta nostra pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui, iustítiæ vivámus, cuius livóre sanáti sumus. Dicámus ergo simul:

℟. *Dómine, ad quem íbimus? verba vitæ ætérnæ habes. Et nos credídimus et cognóvimus quia tu es Christus Fílius Dei.*

Vel: *Adiuva nos misértus nostri.*

5

Christo Dómino, qui tráditus est propter delícta nostra et resurréxit propter iustificatiónem nostram, confidénter supplicémus, dicéntes:

℟. *Tu es salvátor noster.*
Vel: *Christe, Fili Dei vivi, miserére nostri.*

Invocationes pænitentiales

(Semper una saltem ad petendam veram cordis contritionem seligatur).

204. Si oratio dirigitur ad Patrem:

1

— Ut nos peccatóres, integritátem Ecclésiæ nostra fragilitáte maculántes, perfécta remissióne culpárum nostrárum íterum plenæ fratrum communióni restítuas.

℟. Te rogámus, audi nos. Vel: Miserére nostri, Dómine.

Vel alia formula responsionis quæ magis apta videatur.

— Ut non habéntes fidúciam nisi in tua misericórdia, ad sacraméntum reconciliatiónis admíttas. ℟.

— Ut nostræ et fratrum conversióni caritáte, exémplo et précibus sincéro ánimo adlaborémus. ℟.

— Ut nos, qui hódie peccáta nostra confitémur, a servitúte peccáti erípias et ad filiórum libertátem perdúcas. ℟.

— Ut tecum et inter nos reconciliáti, signum vivens tui amóris in mundo efficiámur. ℟.

— Ut per sacraméntum reconciliatiónis pacem tuam in nobis abundántius suscipiámus et in mundo efficácius quærámus. ℟.

— Ut per hoc tuæ dilectiónis signum, quo peccáta nostra dimíttis, discámus fratres dilígere iísque débita dimíttere. ℟.

— Ut qui misericórdiam tuam deprecámur, nuptiáli veste recépta, ad mensam tuam intráre mereámur. ℟.

— Ut dimíssis peccátis nostris nos per sémitas iustítiæ et amóris perdúcas et ad pacis ætérnæ prǽmia perveníre concédas. ℟.

— Ut luce tua ténebras nostras discútias nosque per viam veritátis perdúcas. ℟.

— Ut qui iuste pro peccátis nostris afflígimur, pro tui nóminis glória misericórditer liberémur. ℟.

— Ut quos a peccatórum vínculis tua pietáte absólvis, ab omni adversitáte poténtia tua custódias. ℟.

— Ut fragilitátem nostram aspíciens, non in ira pro nostra pravitáte nos árguas, sed imménsa tua deméntia purífices, erúdias et salves. ℟.

— Ut tua nos misericórdia et ab omni vetustáte éxuat et capáces sanctæ novitátis effíciat. ℟.

— Ut errántes a te, in viam iustítiæ, amóris et pacis redíre valeámus. ℟.

— Ut nostra destrúcta pravitáte quæ nócuit, tua vincat misericórdia quæ redémit. ℟.

— Ut prætéritas culpas nostras déstruens, nos ad futúram vitam præpares. ℟.

2

Possunt hæ invocationes vel cum responsione variabili vel cum responsione invariabili recitari, ut in Liturgia Horarum.

— Quæ contra unitátem famíliæ tuæ commísimus, benígnus indúlge,

℟. et cor unum et ánimam unam nos esse concéde.

— Peccávimus, Dómine, peccávimus,

℟. dele iniquitátes nostras tua grátia salutári.

— Da nobis peccatóribus véniam a te impetráre,

℟. et simul cum Ecclésia tua reconciliári.

— Fac nos per sincéram conversiónem, amicítiam tuam magis magísque fovére,

℟. et offénsas sapiéntiæ et bonitáti tuæ illátas expiáre.

— Purífica et rénova Ecclésiam tuam, Dómine,

℟. ut magis ac magis tibi testimónium reddat.

— Move omnes qui ob peccáta et scándala a te discessérunt,

℟. ut ad te rédeant et in dilectióne tua permáneant.

— Da nobis mortificatiónem Fílii tui in córpore nostro circumférre,

℟. qui nos vivificásti in córpore eius.

— Exáudi, quǽsumus, Dómine, súpplicum preces et confiténtium tibi parce peccátis,

℟. ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

— Multum quidem peccávimus, Dómine, sed tuam confitémur misericórdiam,

℟. convérte nos et convertémur.

— In ánimo contríto et spíritu humilitátis suscipiámur,

℟. quóniam non est confúsio confidéntibus in te.

— Peccávimus et iníque égimus recedéntes a te,

℟. et delíquimus in ómnibus et præcépta tua non observávimus.

— Revértere, Dómine, et miserére nostri, depóne iniquitátes nostras,

℟. et próice in profúndum maris ómnia peccáta nostra.

— Fac ut iustificáti exsultémus in te, Dómine,

℟. et in rectitúdine cordis gloriémur.

205. Si oratio dirigitur ad Christum:

1

— Qui per mortem tuam nos Patri reconciliásti et salvos fecísti. (Rom 5, 10)

℟. Dómine, miserére nostri. Vel: Christe, exáudi nos.

Vel alia formula responsionis quæ magis apta videatur.

— Qui mórtuus es et resurrexísti, sedésque ad déxteram Patris ad interpellándum pro nobis. ℟. (Rom 8, 34)

— Qui factus es nobis sapiéntia a Deo, et iustítia, et sanctificátio, et redémptio. ℟. (1 Cor 1, 30)

— Qui omnes hómines abluísti, sanctificásti ac iustificásti in Spíritu Dei nostri. ℟. (1 Cor 6, 11)

— Qui dixísti nos peccáre in te, si in fratres peccámus. ℟. (1 Cor 8, 12)

— Qui propter nos egénus factus es, cum esses dives, ut tua inópia nos dívites essémus. ℟. (2 Cor 8, 9)

— Qui temetípsum pro peccátis nostris dedísti, ut eríperes nos de præsénti sǽculo nequam. ℟. (Gal 1, 4)

— Qui a mórtuis resuscitátus, eripuísti nos ab ira ventúra. ℟. (1 Th 1, 10)

— Qui venísti in hunc mundum ut peccatóres salvos fáceres. ℟. (1 Tim 1, 15)

— Qui dedísti temetípsum redemptiónem pro ómnibus. ℟. (1 Tim 2, 6)

— Qui mortem destruxísti et vitam illumінásti. ℟. (2 Tim 1, 10)

— Qui iudicatúrus es vivos et mórtuos. ℟. (2 Tim 4, 1)

— Qui dedísti temetípsum pro nobis, ut nos redímeres ab omni iniquitáte, et mundáres tibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum. ℟. (Tit 2, 14)

— Qui misericors factus et fidélis póntifex in iis, quæ sunt ad Deum, repropitiásti delícta pópuli. ℟. (Hebr 2, 17)

— Qui factus es ómnibus obtemperántibus tibi causa salútis ætérnæ. ℟. (Hebr 5, 9)

— Qui per Spíritum Sanctum temetípsum obtulísti immaculátum Deo, emúndans consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis. ℟. (Hebr 9, 15)

— Qui oblátus es ad multórum exhauriénda peccáta. ℟. (Hebr 9, 28)

— Qui semel pro peccátis nostris mórtuus es, iustus pro iniústis. ℟. (1 Pt 3, 18)

— Qui es propitiátio pro peccátis nostris, non pro nostris autem tantum, sed étiam pro totíus mundi. ℟. (1 Io 2, 2)

— Qui mórtuus es ut credéntes in te non péreant, sed vitam ætérnam hábeant. ℟. (Io 3, 16. 35)

— Qui venísti in hunc mundum quǽrere et salvum fácere quod períerat. ℟. (Mt 18, 11)

— Qui missus es a Patre non ut iúdices mundum, sed ut per te mundus salvétur. ℟. (Io 3, 17)

— Qui habes potestátem in terra dimittendi peccáta. ℟. (Mc 2, 10)

— Qui vocas ad te omnes qui labórant et oneráti sunt ut eos refícias. ℟. (Mt 11, 28)

— Qui Apóstolis tuis claves regni cælórum tradidísti ut ligárent et sólverent. ℟. (Mt 16, 19; 18, 18)

— Qui in amóre Dei et próximi univérsam legem posuísti. ℟. (Mt 22, 38-40)

— Iesu, vita ómnium, qui in mundum venísti ut hómines vitam hábeant et abundántius hábeant. ℟. (Io 10, 10)

— Iesu, Pastor bone, qui ánimam pro óvibus posuísti. ℟. (Io 10, 11)

— Iesu, firma véritas, qui nos líberos facis. ℟. (Io 14, 6; 8, 32. 36)

— Iesu, via única, per quam omnes ad Patrem debent transíre. ℟. (Io 14, 6)

— Iesu, resurréctio et vita, per quem hómines in ipsum credéntes, etsi mórtui fúerint, vivent. ℟. (Io 11, 25)

— Iesu, vitis vera, cuius pálmites fructum feréntes Pater purgat ut fructum plus áfferant. ℟. (Io 15, 1-2)

2

Possunt hæ invocationes vel cum responsione variabili vel cum responsione invariabili recitari, ut in Liturgia Horarum.

— Médice córporum et animárum, sana plagas cordis nostri,
℟. ut contínua capiámus præsídia sanctitátis.

— Véterem hóminem cum áctibus suis nos expoliáre concéde,
℟. et te novum hóminem indúere.

— Redémptor noster, da nobis passióni tuæ magis per pæniténtiam inhærére,

℟. ut étiam resurrectiónis glóriam plénius adipiscámur.

— Mater tua, refúgium peccatórum, pro nobis intercédat,

℟. ut peccátis nostris benígnus ignóscas.

— Qui mulíeris pæniténtis remisísti peccáta,

℟. ne avértas misericórdiam tuam a nobis.

— Qui ovem errántem in úmeros tuos imposuísti,

℟. súscipe nos, misértus nostri.

— Qui latróni tecum crucifíxo paradísum obtulísti,

℟. áccipe nos tecum in regnum tuum.

— Qui mórtuus es pro nobis et resurrexísti,

℟. fac nos mortis tuæ et resurrectiónis partícipes.

206. Proclamatio laudis

Ps 31, 1-7. 10-11.

℟. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti.

Ps 97, 1-9.

℟. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ.

Ps 99, 2-5.

℟. Suávis est Dóminus; in ætérnum misericórdia eius.

Ps 118, 1. 10-13. 15-16. 18. 33. 105. 169. 170. 174-175.

℟. Benedíctus es, Dómine; doce me iustificatiónes tuas.

Ps 102, 1-4. 8-18.

℟. Misericórdia Dómini ab ætérno,
et usque in ætérnum super timéntes eum.

Ps 144, 1-21.

℟. Per síngulos dies benedícam tibi, Dómine,
et laudábo nomen tuum in sæculum.

Ps 145, 2-10.

℟. Psallam Deo meo quámdiu ero.

Is 12, 1b-6.

℟. Confitémini Dómino et invocáte nomen eius.

Is 61, 10-11.

℟. Exsúltat ánima mea in Deo meo.

Ier 31, 10-14.

℟. Redémit Dóminus pópulum suum.

Dan 3, 52-57.

℟. Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino, laudáte et superexaltáte eum in sǽcula.

Lc 1, 46-55.

℟. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ.

Eph 1, 3-10.

℟. Benedíctus Deus qui elégit nos in Christo.

Ap 15, 3-4.

℟. Magna et mirabília ópera tua, Dómine.

Oratio conclusionis

207. Dignum et iustum est,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
omnípotens sempitérne Deus,
qui iuste córrigis et cleménter ignóscis,
in utróque miséricors,
quia nos ea lege dispónis,
ut coercéndo períre non sinas in ætérnum
et parcéndo spátium tríbuas corrigéndi.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

208. Deus, totíus claritátis cónditor et moderátor,
qui ita dignátus es dilígere hunc mundum,
ut Unigénitum tuum tráderes pro nostra salúte,
cuius cruce redémpti sumus,
morte vivificáti,
passióne salváti,
resurrectióne glorificáti,
per ipsum te súpplices invocámus,
ut huic famíliæ tuæ in ómnibus adésse dignéris;
sit in sénsibus nostris timor devotiónis tuæ,
in corde fides,
in ópere iustítia,
in actu píetas,
in lingua véritas,
in móribus disciplína,
ut digne rectéque immortalitátis prǽmium
cónsequi mereámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

209. Dómine Iesu Christe,
qui dives es ad ignoscéndum,
et proptérea voluísti carnis humilitátem assúmere
ut nobis humilitátis exémpla relínqueres
et in quibuscúmque passiónibus fáceres esse constántes;
præsta, ut semper bona, quæ a te percípimus, teneámus,
et quóties in peccáta lábimur,
per pæniténtiam relevémur.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

210. Deus, qui hoc nobis confers grátia tua,
ut iusti ex ímpiis et beáti efficiámur ex míseris:
adésto tuis opéribus, tuis adésto munéribus,

ut quibus inest fídei iustificátio,
non desit perseverántiæ fortitúdo.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

211. Deus et Pater noster,
tu remisísti peccáta nostra et pacem tuam dedísti nobis;
fac ut semper ínvicem offensiónes remittámus
et pacem simul in mundo operémur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Formulæ benedictionis

212. Benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

213. Benedícat nobis Pater,
qui nos ad vitam génuit ætérnam.

℟. Amen.

Salútem præbeat nobis Fílius,
qui pro nobis mórtuus est et resurréxit.

℟. Amen.

Sanctíficet nos Spíritus,
qui in corda nostra effúsus est nosque in viam rectam dedúxit.

℟. Amen.

214. Benedícat nobis Pater,
qui nos in adoptiónem filiórum vocávit.

℟. Amen.

Auxiliétur nobis Fílius,
qui nos in fratres suscépit.
℟. Amen.

Adsit nobis Spíritus,
qui suum nos templum effécit.
℟. Amen.

APPENDICES

APPENDIX I

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS

1. Quoad peccata nunc temporis reservata ratione sui vel ratione censuræ, formula absolutionis non est mutanda, sed sufficit ut confessarius pænitentem apte dispositum etiam ab iisdem reservatis absolvere intendat, servatis — donec aliter statuatur et si res ferat — normis iuris vigentis quod attinet ad obligationem recursus ad competentem Auctoritatem. Potest tamen confessarius, antequam a peccatis absolvat, a censura absolvere cum formula quæ infra proponitur adhibenda extra Pænitentiæ sacramentum.

2. Quando autem sacerdos, ad normam iuris, aliquem pænitentem a censura absolvit extra Pænitentiæ sacramentum, formula sequenti utitur:

Potestáte mihi concéssa, ego te absólvo
a vínculo excommunicatiónis (vel suspensiónis vel interdícti).
In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

Pænitens respondet:

Amen.

DE DISPENSATIONE AB IRREGULARITATE

3. Si pænitens aliqua detinetur irregularitate, sacerdos, ad normam iuris, cum eundem super irregularitate dispensat, sive in confessione, post datam absolutionem, sive extra Pænitentiæ sacramentum, dicit:

Potestáte mihi concéssa, ego dispénso te
super irregularitáte in quam incurrísti.
In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

Pænitens respondet:

Amen.

APPENDIX II

SPECIMINA
CELEBRATIONUM PÆNITENTIALIUM

PARS QUÆ SEQUITUR, CURA ET STUDIO
SACRÆ CONGREGATIONIS PRO CULTU DIVINO
APPARATA EST AD UTILITATEM EORUM
QUI CELEBRATIONIBUS PÆNITENTIALIBUS ORDINANDIS
VEL CONFICIENDIS INCUMBUNT

DE CELEBRATIONIBUS PÆNITENTIALIBUS ORDINANDIS

1. Celebrationes pænitentiales, de quibus in Ordine Pænitentiæ (nn. 36-37) agitur, perutiles sunt in vita sive singulorum sive communitatum ad spiritum et virtutem pænitentiæ fovenda et ad præparationem celebrationis magis fructuosæ sacramenti pænitentiæ. Caveatur ne hæ celebrationes, in opinione fidelium, cum sacramentali confessione et absolutione confundantur.[1]

2. Celebrationes pænitentiales, præsertim illæ quæ pro variis cœtibus et rerum adiunctis instituuntur, sedulo condiciones speciales vitæ, modum loquendi et captum congregationis respiciant. Cura sit ergo commissionibus liturgicis[2] et unicuique communitati christianæ celebrationes easdem parare ita ut, pro unoquoque cœtu et pro variis circumstantiis, textus magis apti eligantur et ordo opportunior servetur.

3. Ad hoc opus adiuvandum, varia et inter se diversa exempla celebrationum pænitentialium hic proponuntur, quæ quasi specimina intellegenda sunt et condicionibus certis ac definitis uniuscuiusque communitatis aptanda.

4. In his celebrationibus aliquando sacramentum Pænitentiæ perficitur; tunc, post lectiones et homiliam, adhibeatur « Ordo ad reconciliandos plures pænitentes cum confessione et absolutione singulari » (nn. 54-59) vel, in casibus peculiaribus iure prævisis, « Ordo ad reconciliandos pænitentes cum confessione et absolutione generali » (nn. 60-63).

[1] Cf. S. Congr. pro Doctrina Fidei, *Normæ pastorales circa absolutionem sacramentalem, generali modo impertiendam*, 16 iunii 1972, n. X: *AAS* 64 (1972), p. 513.

[2] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici*, 26 sept. 1964, n. 39: *AAS* 56 (1964), p. 110.

I. CELEBRATIONES PÆNITENTIALES TEMPORE QUADRAGESIMÆ

5. Tempus Quadragesimæ est præcipuum tempus pænitentiæ sive pro singulis fidelibus sive pro tota simul Ecclesia. Expedit ergo ut hoc tempore per celebrationes pænitentiales christiana communitas ad pleniorem mysterii paschalis participationem præparetur.[1]

6. Præ oculis habeatur indoles pænitentialis liturgiæ verbi in Missis pro tempore Quadragesimæ propositis. Textus sive Lectionarii Missæ sive Missalis Romani opportune ad celebrationes pænitentiales tempore Quadragesimæ instituendas adhiberi possunt.

7. Hic duo proponuntur schemata celebrationis pænitentialis tempori Quadragesimæ magis accommodata. Prius agit de pænitentia prout tendit ad roborandam vel restaurandam gratiam baptismatis; alterum pænitentiam exhibet ut præparationem ad pleniorem participationem mysterii paschalis Christi et Ecclesiæ.

Schema I: PÆNITENTIA AD ROBORANDAM VEL RESTAURANDAM GRATIAM BAPTISMATIS

8. a) Post cantum aptum et salutationem ministri, fideles edoceantur de significatione huius celebrationis, quæ communitatem christianam præparat ad gratiam baptismalem nocte paschali recolendam et ad novitatem vitæ cum Christo per liberationem a peccatis assequendam.

9. b) Oratio

Orémus, fratres, ut qui peccátis nostris grátiæ baptísmatis immémores fúimus, per pæniténtiam nunc in illa grátia restaurémur.

Flectámus génua (vel: Inclináte cápita vestra Deo).

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

Leváte.

Sólita, quǽsumus, Dómine, quos lavásti pietáte custódi,
ut qui tua sunt passióne redémpti,
tua resurrectióne læténtur.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 109; PAULUS VI, Const. Apost. *Pænitemini*, 17 febr. 1966, n. IX: *AAS* 58 (1966), p. 185.

10. c) Lectiones

— Sicut Israelitæ, post transitum maris Rubri, Dei mirabilia obliti sunt, ita et membra novi populi Dei sæpe, post baptismi gratiam, iterum ad peccatum revertuntur.

1 Cor 10, 1-13: Nolo vos ignorare, fratres ...

— Ps 105, 6-10. 13-14. 19-22; ℟. (6).

— Filius qui deserit patrem et domum, iterum a patre cum amore recipitur; ovis quæ ab ovili deerravit, iterum a pastore sollicite quæritur. Ita et nos, qui post baptismi gratiam peccavimus, Deus iterum quærit et ad se revertentes cum amore suscipit, tota Ecclesia lætante.

Lc 15, 4-7: In illo tempore: Ait Iesus parabolam istam dicens: « Quis ex vobis homo ... ».

Vel Lc 15, 11-32: In illo tempore: Ait Iesus parabolam istam dicens: « Homo quidam ... ».

11. d) Homilia

Agi potest:

— de necessitate gratiam baptismi perficiendi per vitæ fidelitatem erga Christi evangelium (cf. 1 Cor 10, 1-13);

— de gravitate peccati post baptismum (cf. Hebr 6, 4-8);

— de Patris et Dei nostri infinita misericordia, quæ nos iterum atque iterum ad eum post peccatum revertentes suscipit (cf. Lc 15);

— de Paschate prout est festum Ecclesiæ lætantis de initiatione christiana catechumenorum et de reconciliatione pænitentium.

12. e) Discussio conscientiæ

Post homiliam fit discussio conscientiæ, exempli gratia iuxta textum qui in Appendice III, p. 116, invenitur. Semper habeatur spatium silentii, ut unusquisque examen conscientiæ modo magis personali perficere possit. Peculiari modo etiam conscientia discutiatur super promissiones baptismales, quæ nocte Paschatis renovantur.

13. f) Actus pænitentialis

Diaconus (vel, eo absente, alius minister) sic astantes alloquitur:

Adest, fratres, tempus accéptum, dies propitiatiónis divínæ et salútis humánæ, qua mors intéritum et vita accépit ætérna

princípium, quando in vínea Dómini dum novórum pálmitum plantátio faciénda est, purgántur et véteres ut fructum plus ácerant.
Ecce, unusquísque nostrum se peccatórem confitétur et, dum ad pæniténtiam fratrum excitátur exémplo et movétur oratiónibus, protestátur et dicit: « Iniquitátes meas ego agnósco et delíctum meum contra me est semper. Avérte fáciem tuam a peccátis meis, Dómine, et omnes iniquitátes meas dele. Redde mihi lætítiam salutáris tui, et spíritu principáli confírma me ».

Nobis ergo ita supplicántibus et misericórdiam Dei afflícto corde poscéntibus subvéniat misericórdia Dómini, ut qui ántea in nostris perversitátibus displicebámus, nunc iam placére nos Dómino in regióne vivórum cum resurgénte vitæ nostræ auctóre gratulémur.

Tunc sacerdos astantes aqua benedicta aspergit, dum cantatur (vel dicitur) ab omnibus:

Aspérges me, Dómine, hyssópo et mundábor,
lavábis me, et super nivem dealbábor.

Deinde sacerdos orationem facit:

Deus humáni géneris benigníssime cónditor
et misericordíssime reformátor,
qui hóminem invídia diáboli ab æternitáte beáta privátum
unigéniti tui Fílii sánguine redemísti,
vivífica per Spíritum Sanctum tuum
quos tibi nullátenus mori desíderas,
et qui non derelínquis dévios, assúme corréptos.
Móveat tuam, quǽsumus, Dómine,
horum filiórum tuórum húmilis confidénsque conféssio.
Tu eórum medére vulnéribus.
Tu iacéntibus manum pórrige salutárem,
ne Ecclésia tua áliqua sui córporis portióne vastétur,

ne grex tuus detriméntum sustíneat,
ne de famíliæ tuæ damno inimícus exsúltet,
ne renátos lavácro salutári mors secúnda possídeat.
Tibi ergo, Dómine, súpplices preces,
tibi fletum cordis effúndimus.
Tu parce confiténtibus,
ut ab erróris via ad iter revérsi iustítiæ
nequáquam ultra novis vulnéribus sauciéntur,
sed íntegrum sit eis atque perpétuum
et quod grátia tua cóntulit
et quod misericórdia reformávit.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

Tunc celebratio per cantum aptum et populi dimissionem absolvitur.

Schema II: PÆNITENTIA AD PRÆPARATIONEM PLENIORIS PARTICIPATIONIS IN MYSTERIO PASCHALI CHRISTI PRO MUNDI SALUTE

14. a) Post cantum aptum et salutationem ministri, paucis verbis introducantur fideles ad intellegendum se invicem coniungi in peccato et in pænitentia, ita ut pro sanctificatione totius communitatis unusquisque se sentiat ad conversionem vocari.

15. b) Oratio

Orémus, fratres, ut per pæniténtiam Christo pro peccátis nostris crucifíxo uniámur, et ita cum ómnibus homínibus partícipes eius resurrectiónis inveniámur.

Flectámus génua (vel: Inclináte cápita vestra Deo).

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

Leváte.

Dómine, Deus et Pater noster,
qui per Fílii tui passiónem vitam nobis donásti,

tríbue ut eius morti per pæniténtiam consociáti,
ipsíus étiam resurrectiónis
cum ómnibus homínibus partícipes esse valeámus.
Per Christum, Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Vel:

Concéde, omnípotens et miséricors Pater,
ut Spíritu tuo moti et roboráti,
semper mortificatiónem Iesu
in córpore nostro circumferámus,
ut et vita eius manifestétur in nobis.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

16. c) Lectiones

— Servus Domini ut agnus mansuetus suscipit et portat peccata populi, ut plagis ipsius populus sanetur. Christi discipuli, per pænitentiam, peccata totius mundi in semetipsis flere et expiare possunt.

Is 53, 1-7. 10-12: Quis credidit auditui nostro? ...

— Dominus audit orationem Christi qui pro peccatis nostris in cruce moritur. Eius mors fit vita totius mundi. Pænitentia qua peccatis nostris morimur, est renovatio vitæ in Ecclesia et mundo.

Ps 21, 2-3. 7-9. 18-28.

— Si patienter afflictiones sive naturæ sive hominum sustinemus, possumus, imitando Christum, amore nostro odium mundi exstinguere et bono malum vincere, ita ut participatio nostra in passione Christi conferat ad vitam mundi.

1 Pt 2, 20b-25: Carissimi: Si benefacientes ...

— Versus ante Evangelium

Glória tibi, Dómine, qui tráditus es propter peccáta nostra,
et resurrexísti propter iustificatiónem nostram.
Glória tibi, Dómine.

Vel alius cantus aptus.

— Iesus discipulos suos hortatur, ut exemplum suum sequentes (calicem suum bibentes) servi fiant fratrum et pro iis animam ponant.

Mc 10, 32-45, vel brevior: 32-34. 42-45: In illo tempore: Erant discipuli in via ...

17. d) Homilia agere potest:

— de peccato, quo Deum offendimus et etiam corpus Christi, quod est Ecclesia, cuius per baptismum membra facti sumus;

— de peccato quatenus est defectus amoris erga Christum, qui mysterio suo paschali in finem nos dilexit;

— de mutua ratione in bono et malo patrando;

— de mysterio expiationis vicariæ, qua Christus peccata nostra ipse portavit, ut plagis ipsius nos sani efficeremur (cf. Is 53; 1 Pt 2, 24);

— de aspectu sociali et ecclesiali pænitentiæ, qua singuli ad conversionem totius communitatis operam conferunt;

— de celebratione Paschæ ut festi communitatis christianæ sese renovantis per uniuscuiusque membri conversionem seu pænitentiam, ut fiat clarius signum salutis in mundo.

18. e) Discussio conscientiæ

Post homiliam fit discussio conscientiæ, exempli gratia iuxta textum qui in Appendice III, p. 116, invenitur. Semper habeatur spatium silentii, ut unusquisque examen conscientiæ modo magis personali perficere possit.

19. f) Actus pænitentialis

Post conscientiæ discussionem, omnes simul dicunt:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos

et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

— Deinde ut signum conversionis et caritatis in proximum aliquid proponatur ad pauperes adiuvandos, ut festum Paschatis læti celebrare possint, vel agatur de infirmis visitandis, vel de aliqua iniustitia in communitate reparanda, etc.

— Postremo cani vel recitari potest oratio dominica, quam sacerdos sic concludit:

Líbera nos, Pater, ab omni malo,
et per beátam Fílii tui passiónem,
cui pæniténtia nos coniúngit,
fac nos in eius resurrectióne participáre lætántes.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Ubi rerum adiuncta id suadeant, post confessionem generalem fieri etiam potest aliquod pietatis exercitium ut adoratio crucis vel Via crucis, secundum locorum consuetudines et desiderium fidelium.

In fine, post cantum aptum, populus cum salutatione vel benedictione dimittitur.

II. CELEBRATIO PÆNITENTIALIS TEMPORE ADVENTUS

20. a) Post cantum et salutationem, brevi monitione sensus celebrationis proponatur, his vel similibus verbis:

Fratres: Tempus Advéntus nos prǽparat ad celebrándum mystérium Incarnatiónis Dómini, quo salus nostra exórdium hábuit; at, simul, éxcitat in nobis exspectatiónem secúndi Dómini advéntus, quo história nostræ salútis complébitur. Sed cum iam hora mortis ad unumquemque nostrum Dóminus vénerit, opórtet nos vigilántes inveníat secúndum illud Evangélii: « Beáti servi illi, quos cum vénerit Dóminus invénerit vigilántes » (Lc 12, 37). Hæc celebrátio pæniténtiæ fáciat nos punióres et paratióres ad hunc Dómini advéntum, quem in sacris mystériis celebrábimus.

Vel:

Fratres: Hora est iam nos de sommo súrgere.
Nunc enim própior est nostra salus quam cum credídimus.
Nox præcéssit, dies autem appropinquávit,
abiciámus ergo ópera tenebrárum
et induámur arma lucis.

(Rom 13, 11-12)

21. b) Oratio

Orémus, fratres, ut advéntus Dómini, cuius mystérium próximis sollemnitátibus celebrábimus, nos vigilántes et parátos invéniat.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

Véniam precámur offensárum, cælórum cónditor, Deus,
ut Redemptóris nostri sustinéntes præséntiam,
peccatórum indulgéntiam percípere mereámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Vel:

Excélse Fili Dei,
humáni géneris cónditor et immaculáte Salvátor,
procéde iam, quǽsumus, de incontamináta Vírgine
pro mundi redemptióne,
ut sentiámus per illam grátiam nos liberári a peccátis,
per quam ipse fíeri dignátus es absque delícto símilis nobis.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℞. Amen.

22. c) Lectiones

— Domini adventus secum fert iudicium. Electio præmii vel punitionis fit nunc a nobis operibus nostris. Quando Dominus apparebit, tunc et electio nostra manifesta erit. Pænitentia est momentum electionis et decisionis.

Mal 3, 1-7a: Hæc dicit Dominus: Ecce ego mitto angelum meum ... usque ad dicit Dominus exercituum.

— Deus Filium suum in mundum misit non ut damnetur mundus sed ut salvetur. Ita adventus Domini, quem nunc in mysterio celebramus, est adventus salutis. Hæc pænitentiæ celebratio fit in spe huius salutis, ut lætantes Nativitatem Domini celebremus et in eius occursum festinemus.

Ps 84, per totum. ℞. v. 8.

— Dominus Iesus per adventum suum nos introducet in vitam novam, in mundum novum. Iam nunc Ecclesia est signum vivens huius civitatis sanctæ quæ in futuro revelabitur: sed per peccatum nos ab illa excludimur.

Ap 21, 1-12: Ego Ioannes vidi cælum novum ...

— Versus ante Evangelium

Dicit Dóminus: « Ecce vénio cito, et merces mea mecum est ».
Veni, Dómine Iesu.

Vel:

Spíritus et sponsa dicunt: « Veni ».
Et qui audit dicat: « Veni ».
Veni, Dómine Iesu (Ap 22, 12. 17. 20).

Vel alius cantus aptus.

— Sicut diebus Ioannis Baptistæ, ita et hodie pro nobis, adventus Domini est tempus conversionis et pænitentiæ, ut, eo adveniente, salutem suscipere valeamus.

Mt 3, 1-12: In diebus illis venit Ioannes Baptista ...

Vel Lc 3, 3-17: In illo tempore: Venit Ioannes Baptista in omnem regionem ...

23. d) Deinde, post homiliam, fit discussio conscientiæ, exempli gratia iuxta textum qui in Appendice III, p. 116, invenitur. Semper habeatur spatium silentii, ut unusquisque examen conscientiæ modo magis personali perficere possit.

24. e) Actus pænitentialis

Post conscientiæ discussionem, fit actus pænitentialis, v. gr. recitatione formulæ Confíteor vel intercessionibus ut in nn. 56, 60. Postremo canitur vel recitatur oratio dominica, quam minister qui celebrationi præest sic concludit:

Deus, qui inítio mundi condens lucem
densas tenebrárum nébulas dissipásti,
quǽsumus, ut ipse iam procédat cónditor lucis,
ante sǽcula quem parásti,
ut pópulus a vetustátis erróre liberátus,
in occúrsum Fílii tui advéniat,
dignis opéribus præparátus.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Vel:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui per incarnatiónem Unigéniti tui
mundum tuæ maiestáti reconciliáre dignátus es,
tríbue, quǽsumus,
ut núbila peccatórum fúgiant a corde seréno
et mystéria domínicæ nativitátis luce crescéntia
casta semper lætítia celebréntur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

In fine, post cantum aptum, populus, cum salutatione vel benedictione, dimittitur.

III. CELEBRATIONES PÆNITENTIALES COMMUNES

I. De peccato et conversione

25. a) Post cantum aptum (ex. gr. Ps 138, vv. 1-12. 16. 23-24) et salutationem, minister qui celebrationi præest, argumentum lectionum paucis verbis proponit; deinde ad orationem invitat, et post tempus silentii sic orationem concludit:

Dómine Iesu,
quando Petrus ter te negávit,
tu ad illum convérsus respexísti eum,
ut fleret peccátum suum et ad te toto corde reverterétur;
réspice in nos et move corda nostra,
ut ad te redeámus
et tota vita nostra te fidéliter sequámur.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

26. b) Lectiones

Lc 22, 31-34: « Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me ».

Fit brevis pausa silentii.

Lc 22, 54-62: « Egressus foras Petrus flevit amare ».

Ps 30, vv. 10. 15-17. 20; vel Ps 50; vel alius cantus.

Io 21, 15-19: « Simon Ioannis, amas me? »

27. c) Homilia agere potest:

— de fiducia ponenda in gratia Dei, non in viribus nostris;

— de fidelitate, qua secundum baptismum vivere debemus ut veri Domini discipuli;

— de nostra infirmitate, qua sæpe in peccata incidimus et testimonium de evangelio perhibere recusamus;

— de misericordia Domini, qui post peccatum iterum ut amicos nos suscipit, si toto corde ad eum revertimur.

28. d) Discussio conscientiæ

Post homiliam fit discussio conscientiæ, exempli gratia iuxta textum qui in Appendice III, p. 116, invenitur. Semper habeatur spatium silentii, ut unusquisque examen conscientiæ modo magis personali complere possit.

29. e) Actus pænitentialis

Post conscientiæ discussionem, minister qui præest, ad orationem invitat his vel similibus verbis:

Comméndat caritátem suam Deus in nobis, quóniam cum adhuc peccatóres essémus, ipse prior diléxit nos et misértus est nostri. Itaque, convertámur ad illum toto corde nostro, et cum Petro humíliter amórem nostrum confiteámur dicéntes:
℟. Dómine, tu ómnia nosti; tu scis quia amo te.

Expedit, ut inter unam et alteram invocationem breve tempus silentii interponatur; ita opportunum erit unamquamque invocationem a variis fidelibus proponi, ceteris respondentibus.

— Et nos, Dómine, sicut Petrus, in nobismetípsis fidúciam habúimus pótius quam in grátia tua; sed tu convértere ad nos, Dómine, et miserére nostri.

℟. Dómine, tu ómnia nosti; tu scis quia amo te.

— Sine humilitáte et sine prudéntia égimus et sic in tentatiónem incídimus; sed tu convértere ad nos, Dómine, et miserére nostri. ℟.

— Supérbi fúimus et céteris melióres nos putávimus; sed tu convértere ad nos, Dómine, et miserére nostri. ℟.

— De lapsu fratrum nostrórum fortásse aliquándo gavísi sumus pótius quam contristáti; sed tu convértere ad nos, Dómine, et miserére nostri. ℟.

— Iis qui difficultátibus laborábant, sæpe contémptum osténdimus pótius quam auxílium præbúimus; sed tu convértere ad nos, Dómine, et miserére nostri. ℟.

— Et nos intérdum, præ metu, veritáti et iustítiæ testimónium reddere recusávimus; sed tu convértere ad nos, Dómine, et miserére nostri. ℟.

— Et nos promissiónibus baptismálibus nostris, quibus discípuli tui efécti fúimus, sæpe infidéles sumus; sed tu convértere ad nos, Dómine, et miserére nostri. ℟.

— Precem nostram nunc ad Patrem dirigámus et, sicut Christus nos dócuit, supplicémus ei, ut dimíttat nobis peccáta nostra:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

30. f) Deinde, post cantum aptum, minister, qui celebrationi præest, orationem conclusionis facit et populum dimittit.

Dómine Iesu, Salvátor noster,
qui Petrum ad apostolátum vocásti
et post eius culpam et pæniténtiam
íterum ut amícum tuum
et Apostolórum príncipem confirmásti,
convértere ad nos et réspice nos,
ut Petri exémplum imitáti
post peccáta nostra ad te revertamur
et deínceps maióre te sequámur dilectióne.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

II. De filio ad patrem revertente

31. a) Post cantum aptum et salutationem, minister circumstantibus argumentum celebrationis exponit. Deinde eos ad orationem invitat, et, post tempus silentii, concludit dicens:

Dómine Deus omnípotens,
tu ómnium Pater es.
Tu hómines creásti, ut tecum semper in domo tua essent
in laudem glóriæ tuæ.
Aperi corda nostra ad audiéndam vocem tuam,
ut postquam a te peccándo discéssimus,
ad te nunc toto corde revertámur,
et cognoscámus te esse Patrem nostrum
plenum misericórdia in omnes qui ínvocant te
corripiéntem, ut recedámus a malo
et dimitténtem nobis ómnia peccáta nostra.
Redde nobis lætítiam salútis tuæ,
ut simul ad te reverténtes
lætémur in convívio domus tuæ
nunc et semper et in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

32. b) Lectiones

Eph 1, 3-7: « Prædestinavit nos in adoptionem filiorum ».

Ps 26, 1. 4. 7-10. 13-14.

Lc 15, 11-32: « Vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est ».

33. c) Homilia agere potest:

- de peccato, prout est aversio ab amore filiali erga Deum Patrem;
- de misericordia infinita Patris in filios peccatores;
- de natura veræ conversionis;
- de venia fratribus semper concedenda;
- de convivio eucharistico quatenus est culmen reconciliationis cum Ecclesia et cum Deo.

34. d) Discussio conscientiæ

Post homiliam fit discussio conscientiæ, exempli gratia iuxta textum qui in Appendice III, p. 116, invenitur. Semper habeatur spatium silentii, ut unusquisque examen conscientiæ modo magis personali complere possit.

35. e) Actus pænitentialis

Post conscientiæ discussionem, minister, qui præest, ad orationem invitat:

Deus noster est Deus miséricors, tardus ad iram et pátiens multum, qui íterum súscipit nos sicut pater suscépit fílium de longínquo reverténtem. Supplicémus ei cum fidúcia dicéntes:

℟. Non sumus digni vocári fílii tui.

— Eo quod donis tuis male usi sumus, peccántes coram te:

℟. Non sumus digni vocári fílii tui.

— Eo quod mente et corde nostro procul a te ambulávimus, peccántes coram te: ℟.

— Eo quod amóris tui oblíti sumus peccántes coram te: ℟.

— Eo quod delectatiónem nostram pótius quam bonum nostrum et fratrum nostrórum secúti sumus, peccántes coram te: ℟.

— Eo quod parum de frátribus nostris curam égimus, peccántes coram te: ℟.

— Eo quod tardi fúimus ad ignoscéndum frátribus nostris, peccántes coram te: ℟.

— Eo quod misericórdiæ tuæ qua íterum atque íterum suscepísti nos oblíti sumus, peccántes coram te: ℟.

Aliæ invocationes addi possunt a circumstantibus; expedit ut inter unam et alteram invocationem pausa brevis silentii servetur; item opportunum videtur ut variæ invocationes a variis fidelibus proferantur.

— Nunc verbis ipsis quæ Iesus nos dócuit, Patrem nostrum invocémus, ut dimíttat nobis peccáta nostra:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

36. f) Deinde post cantum aptum, minister, qui celebrationi præest, orationem conclusionis facit et populum dimittit.

Deus et Pater noster,
qui prædestinásti nos in adoptiónem filiórum,
ut essémus sancti in conspéctu tuo
et gauderémus semper in domo tua,
súscipe nos et consérva nos in dilectióne tua,
ut cum lætítia et caritáte vivámus
in Ecclésia tua sancta.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

III. De Beatitudinibus evangelicis

37. a) Post cantum aptum et salutationem, minister, qui celebrationi præest, indicat præsentibus argumentum lectionum eosque ad orationem invitat; post aliquod tempus silentii orationem concludit:

Aperi, Dómine, cor nostrum
ad audiéndam hódie vocem tuam,
ut Fílii tui evangélium suscipiéntes,
per eius mortem et resurrectiónem

in novitáte vitæ ambuláre valeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

38. b) Lectiones

1 Io 1, 5-9: « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus ».

Ps 145, 5-10.

Mt 5, 1-10: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum ».

39. c) Homilia agere potest:

— de peccato, quo nos, mandata Christi obliviscentes, beatitudinibus evangelicis opponimus;

— de firmitate fidei nostræ in verba Iesu;

— de fidelitate nostra in imitatione Christi, tam in vita personali quam in communitate christiana, immo in societate humana;

— de unaquaque Beatitudine.

40. d) Discussio conscientiæ

Post homiliam fit discussio conscientiæ, exempli gratia iuxta textum qui in Appendice III, p. 116, invenitur. Semper habeatur spatium silentii, ut unusquisque examen conscientiæ modo magis personali perficere possit.

41. e) Actus pænitentialis

Post conscientiæ discussionem, minister, qui præest, ad orationem invitat, dicens his vel similibus verbis:

Fratres: Iesus Christus nobis relíquit exémplum, ut sequámur vestígia eius. Precem nostram in omni humilitáte et fidúcia ad eum dirigámus, ut puríficet corda nostra et det nobis, ut secúndum evangélium suum vivámus:

— Dómine Iesu Christe, tu dixísti:
« Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est regnum cælórum »;

sed nos nimis de divítiis sollíciti sumus
eásque iniúste étiam quǽrimus.
Agnus Dei, qui tollis peccátum mundi,

℟. Miserére nobis.

— Dómine Iesu Christe, tu dixísti:
« Beáti mites,
quóniam ipsi possidébunt terram »;
sed nos violénti sumus ad ínvicem
et mundus noster plenus est discórdia et bellis.
Agnus Dei, qui tollis peccátum mundi,

℟. Miserére nobis.

— Dómine Iesu Christe, tu dixísti:
« Beáti qui lugent,
quóniam ipsi consolabúntur »;
sed nos impatiénter afflictiónes nostras tolerámus
et parum de frátribus nostris afflíctis curámus.
Agnus Dei, qui tollis peccátum mundi,

℟. Miserére nobis.

— Dómine Iesu Christe, tu dixísti:
« Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam,
quóniam ipsi saturabúntur »;
sed nos parum te sitímus, fontem totíus sanctitátis,
et pigri sumus circa iustítiam privátam et públicam.
Agnus Dei, qui tollis peccátum mundi,

℟. Miserére nobis.

— Dómine Iesu Christe, tu dixísti:
« Beáti misericórdes,
quóniam ipsi misericórdiam consequéntur »;
sed nos nólumus frátribus véniam concédere,

et sevére próximos nostros iudicámus.
Agnus Dei, qui tollis peccátum mundi,
℟. Miserére nobis.

— Dómine Iesu Christe, tu dixísti:
« Beáti mundo corde,
quóniam ipsi Deum vidébunt »;
sed nos concupiscéntiæ et desidériis sénsuum servímus,
et ad te óculos nostros leváre non audémus.
Agnus Dei, qui tollis peccátum mundi,
℟. Miserére nobis.

— Dómine Iesu Christe, tu dixísti:
« Beáti pacífici,
quóniam fílii Dei vocabúntur »;
sed nos nescímus pacem operári in famíliis nostris,
in societáte, in vita populórum.
Agnus Dei, qui tollis peccátum mundi,
℟. Miserére nobis.

— Dómine Iesu Christe, tu dixísti:
« Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam,
quóniam ipsórum est regnum cælórum »;
sed nos pótius iniustítiam fácimus
quam libéntius pro iustítia patimur,
et discriminatiónes, oppressiónes, persecutiónes
in fratres nostros operámur.
Agnus Dei, qui tollis peccátum mundi,
℟. Miserére nobis.

— Patrem nostrum nunc invocémus Dóminum, ut líberet nos a malo et dignos effíciat regni sui:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;

advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

42. f) Deinde, post cantum aptum, minister, qui celebrationi præest, orationem conclusionis facit et populum dimittit.

Dómine Iesu Christe,
mitis et húmilis corde,
miséricors et pacíficus,
pauper et propter iustítiam occísus,
qui per crucem ad glóriam perveísti,
ut nobis viam salútis osténderes,
tríbue nobis, ut lætántes evangélium tuum suscipiámus
et secúndum exémplum tuum vivámus.
coherédes et compartícipes regni tui,
qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

IV. PRO PUERIS

43. Hoc schema celebrationis pænitentialis pueris minoris ætatis aptum est, etiam iis qui ad confessionem sacramentalem nondum accesserunt.

Argumentum: DEUS QUÆRENS NOS

44. Celebratio pænitentialis cum ipsis pueris præparanda est, ita ut certiores iam fiant de sensu et fine talis celebrationis, bene sciant cantus, notitiam iam habeant saltem initialem textus sacræ Scripturæ, qui legitur, atque certi sint de textibus a se recitandis, de actionibus earumque successione.

45. a) Salutatio

Pueros in ecclesia vel alio loco apto congregatos, celebrans salutat verbis affabilibus iisque breviter intentionem celebrationis in memoriam revocat, necnon ea, quæ ad eius decursum spectant. Salutatione peracta, cantus initialis cani potest.

46. b) Lectio

Brevem introductionem celebrans his vel similibus verbis dicere potest:

Dilectíssimi púeri: Nos omnes baptísmate fílii filiǽque Dei facti sumus. Deus nos amat velut Pater, atque nos monet, ut ipsum amémus toto corde. Sed et vult, ut boni simus ad ínvicem, ita ut omnes simul felíciter vivámus.

Verúmtamen hómines non semper agunt secúndum Dei voluntátem. Dicunt: « Non obtemperábo! Fácio, quod volo ego! » Deo non obœ́diunt, et vocem eius nolunt audíre. Sic et nos sæpe ágimus.

Hoc est quod peccátum vocámus, quo a Deo divértimur et si revéra grave est, omníno nos a Deo separámus.

Quómodo autem Deus agit, quando áliquis se avértit ab eo? Quid facit quando rectam viam derelínquimus atque perículum incúrrimus amitténdi vitam? Num offénsus se avértit a nobis?

Audiámus quid Dóminus dicat nobis:

47. Unus tantum textus sacræ Scripturæ legatur.

Lc 15, 1-7: In illo tempore: Erant appropinquantes Iesu omnes publicani ...

48. c) Homilia

Homilia brevis sit, et præsertim Dei amorem erga nos extollat, necnon ansam præbeat ad conscientiæ discussionem.

49. d) Discussio conscientiæ

Examen puerorum captui brevibus celebrantis indicationibus aptetur et opportunum tempus silentii complectatur (cf. Appendix III, p. 116).

50. e) Actus pænitentialis

Preces litanicæ sequentes a celebrante vel ab uno aut pluribus pueris alternatim cum ceteris præsentibus recitari possunt. Ante responsiones, quæ etiam cani possunt, brevis pausa ut servetur suadetur.

Deus et Pater noster,

— sæpe non égimus sicut decet fílios tuos.

℟. Tu autem amas nos et quæris nos.

— Paréntibus et magístris nostris molésti fúimus.

℟. Tu autem amas nos et quæris nos.

— Rixáti sumus et male locúti sumus ad ínvicem.

℟. Tu autem amas nos et quæris nos.

— Domi (et in schola) pigri fúimus nec paráti paréntes (fratres nostros, álios púeros) adiuváre.

℟. Tu autem amas nos et quæris nos.

— Vani fúimus atque mentíti sumus.

℟. Tu autem amas nos et quæris nos.

— Occasiónes bonum faciéndi omísimus.

℟. Tu autem amas nos et quæris nos.

Nunc autem una cum Iesu, fratre nostro, ad Patrem imus, et rogámus eum ut dimíttat nobis peccáta nostra:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

51. f) Actus contritionis et propositum

Manifestari potest per aliquod signum, ex. gr.: singuli pueri, si opportunum videtur, cereum portantes accedunt ad altare vel ad alium locum aptum ut cereum — ministro adiuvante si opus est — ibi accendant, et unusquisque dicit:

Pater, dóleo de ómnibus quæ male egi,
et de bono quod omísi.
Sincére eo conténdere volo, ut me eméndem,
præsértim ... (hic certum propositum nominatur)
et ut ámbulem in luce tua.

Loco cerei vel una cum eo, textum orationis et propositi scriptum in schedula pueri deponere possunt super altare vel super mensam ad hoc præparatam.

Si autem numerus puerorum vel alia adiuncta hoc non sinunt, celebrans pueros monet, ut omnes simul proferant orationem supra dictam et quidem cum proposito generali.

52. g) Oratio celebrantis

Deus, Pater noster, semper nos quærit
quando a recta via aberrávimus,
et parátus est dimíttere quæ male égimus.

Misereátur ergo nostri omnípotens Deus,
et dimíssis peccátis nostris
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

℟. Amen.

53. Minister pueros invitat ad gratiarum actionem, quæ cantu apto fieri potest.

Deinde eos dimittit.

V. PRO IUVENIBUS

54. Celebratio pænitentialis cum iuvenibus præparetur ita ut ipsi, si fieri potest, una cum celebrante textus et cantus eligant vel componant. Lectores, cantores vel schola ex eorum cœtu eligantur.

Argumentum: RENOVATIO VITÆ SECUNDUM VOCATIONEM CHRISTIANAM

55. a) Salutatio his vel similibus verbis fieri potest:

Caríssimi: Congregávimus nos ut pæniténtiam agerémus vitámque renovarémus nostram. Non est, ut multi putant, res árdua et luctuósa tantum, sed et iucúnda et ad futúrum magis spectans tempus quam ad prætéritum: Deus per pæniténtiam viam nobis áperit novam, magis magísque ducens nos ad plenam filiórum Dei libertátem. Christus vocans nos ad conversiónem, áditum præbet nobis ad regnum Patris sui, sicut dócuit in parábola de mercatóre, qui, margaríta invénta pretiósa, ómnia véndidit ut comparáret eam. Hoc ergo tanto consílio ducti vitam derelínquimus prætéritam, ut novam multo magis pretiósam consequámur.

Deinde cantus editur, qui agat de vocatione ad novam vitam vel de corde prompto ad Dei vocationem sequendam (v. gr. Ps 39, 1-9 cum ℟.: Ecce vénio fácere voluntátem tuam).

56. b) Oratio

Deus, qui nos vocas e ténebris in lucem tuam,
e mendácio in veritátem,
e morte in vitam;
tu nobis infúnde Spíritum Sanctum tuum
aperiéntem aures cordáque nostra roborántem,
ut vocatiónem nostram percipiámus
et viam strénue ingrediámur
ad vitam vere christiánam ducéndam.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

57. c) Lectiones

Rom 7, 18-25: Fratres: Scio quia ...

Vel Rom 8, 19-23: Fratres: Exspectatio creaturæ ...

Cantus vel spatium silentii.

Mt 13, 44-46: In illo tempore: Dixit Iesus turbis: « Simile est Regnum cælorum ... ».

58. d) Homilia

Homilia agere potest:

— de lege peccati, quæ in nobis contra Deum militat;

— de necessitate derelinquendi viam peccati, ut Regnum Dei ingredi possimus.

59. e) Discussio conscientiæ

Post homiliam fit discussio conscientiæ, exempli gratia iuxta textum qui in Appendice III, p. 116, invenitur. Semper habeatur spatium silentii, ut unusquisque examen conscientiæ modo magis personali perficere possit.

60. f) Actus pænitentialis

Christus Dóminus peccatóres in regnum Patris sui vocávit. Proínde unusquísque in íntimo corde actum nunc elíciat contritiónis et propósitum concípiat distínctum.

Post brevem pausam silentii, omnes simul dicunt:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos

et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Minister:

Dómine Deus, tu ómnia nosti.
Nosti étiam sincéram nos habére voluntátem
mélius tibi fratribúsque serviéndi.
Réspice in nos et audi precatiónes nostras.

Lector:

Da nobis grátiam veræ conversiónis.

℟. Te rogámus, audi nos.

Excita in nobis spíritum pæniténtiæ et confírma propósita nostra.

℟. Te rogámus, audi nos.

Remítte peccáta nostra et deféctibus nostris indúlge.

℟. Te rogámus, audi nos.

Imple corda nostra spíritu fidúciæ et magnanimitátis.

℟. Te rogámus, audi nos.

Fac nos discípulos fidéles Fílii tui et membra viva Ecclésiæ eius.

℟. Te rogámus, audi nos.

Minister:

Deus, qui non vult mortem peccatóris sed ut convértat se et vivat, agnitiónem peccatórum nostrórum benígnus recípiat et magnam misericórdiam suam largiátur nobis orántibus, secúndum Fílii sui præcéptum:

Omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;

fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

61. Celebratio concluditur cantu apto et dimissione.

VI. PRO ÆGROTIS

62. Minister secundum statum ægrotorum et loci opportunitatem ægrotos in cubiculo adunatos adit vel eos in sacellum vel in ecclesiam congregat. Textus ipsos et copiam eorum diligenter condicioni participantium aptet. Cum sæpius nemo ex iis munere lectoris possit fungi, aliam personam ad hoc invitat, si fieri potest.

Argumentum: TEMPUS MORBI UT TEMPUS GRATIÆ

63. a) Salutatio his vel similibus verbis fieri potest:

Caríssimi ægróti: Verbum pæniténtiæ quod Iesus prædicávit bonus est núntius: núntius nempe caritátis et misericórdiæ Dei, qui aptos nos facit ut íterum iterúmque totam dirigámus vitam nostram ad ipsum. Donum ergo Dei pæniténtia est, quod grato ánimo recipiámus opórtet. Tali nunc intentióne magna cum simplicitáte et humilitáte consciéntiam nostram aperiámus Deo et reconciliatiónem ab eo petámus, dum ínvicem dimíttimus débita nostra.

Cantus aliquis pænitentialis, si fieri potest, hic canatur cum ægrotis vel etiam a choro si adest.

64. b) Oratio

Deus, fons omnis bonitátis et cleméntiæ,
da fíliis tuis in nómine tuo congregátis
spíritum pæniténtiæ simul et fidúciæ,
ut tuam et fratrum indulgéntiam peténtes,
peccáta nostra sincére confiteámur.
Rénova, quǽsumus, hac celebratióne
nostram tecum cumque próximis communiónem
quo mélius tibi servíre valeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

65. c) Lectiones

Introductio his vel similibus verbis fieri potest:

Socórdes et ingráti hómines sæpe sanitáte aliísque bonis fruúntur. Témpore autem morbi advértimus hæc ómnia magnum esse donum, quo caréntes fácile ánimis defícimus. Deus morbum permíttit, ut probétur fides nostra; immo pássio nostra ut compássio cum Christo magnum potest habére prétium et pro nobis et pro Ecclésia Dei. Tempus ítaque ægritúdinis non inútilis est vel omni sensu destitútum, sed recta dispositióne accipiéntibus id revéra tempus grátiæ fit. Dispositiónem hanc celebrátio nostra augére inténdit. Quam ob rem verbum audímus Dei, consciéntiam nostram probámus, fúndimus oratiónes.

66. Iac 5, 13-16: Carissimi: Tristatur aliquis vestrum?

Inter lectiones psalmus aliquis alternatim dici vel cani potest (v. gr. Ps 129 vel 50).

Mc 2, 1-12: In illo tempore: Iterum intravit Iesus Capharnaum ...

67. d) Homilia

Celebrans opportune loquatur de morbo, non tam in infirmitate corporis quam in animæ defectibus consistente, potestatem extollat Iesu et Ecclesiæ eius remittendi peccata, necnon vim passionis vicariæ pro aliis oblatæ.

68. e) Discussio conscientiæ

Post homiliam fit discussio conscientiæ, exempli gratia iuxta textum qui in Appendice III, p. 116, invenitur. Semper habeatur spatium silentii, ut unusquisque examen conscientiæ modo magis personali perficere possit.

Addi possunt quæstiones, quæ sequuntur, condicioni ægrotorum aptandæ.

— Dei bonitáti atque providéntiæ étiam diébus afflictiónis morbíque fido?

— Ægritúdini, desperatióni aliísque cogitatiónibus et afféctibus malis indúlgeo?

— Témpore vácuo ad deliberatiónem vitæ adque conversatiónem cum Deo utor?

— Morbum et dolóres ut opportunitátem compatiéndi cum Christo accípio, qui passióne sua nos redémit?

— E fide vivens persuásum hábeo dolóres patiéntia tolerátos multum conférre ad bonum Ecclésiæ?

— Atténtus sum ad álios et respéctum hábeo ad compatiéntes adque necessitátes eórum?

— Gratus sum me curántibus atque visitántibus?

— Bonum curo exémplum præbére sícuti decet christifidélem?

— Præteritórum peccatórum me pǽnitet et in eórum expiatiónem patiénter morbum sive infirmitátem meam sustíneo?

69. f) Actus pænitentialis

Post pausam silentii, omnes simul dicunt:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Lector:

Dómine Deus noster, nomen Fílii tui portámus et te Patrem nostrum vocámus. Pænitet nos te offendísse et iniúriam fecísse frátribus nostris.

℟. Da nobis veram pæniténtiam et éxcita in nobis amórem tui et próximi.

Lector:

Dómine Iesu Christe, per passiónem et crucem tuam nos redemísti et exémplum dedísti patiéntiæ et caritátis. Pænitet nos te offendísse et servítium neglexísse tui et fratrum nostrórum.

℟. Da nobis veram pæniténtiam et éxcita in nobis amórem tui et próximi.

Lector:

Dómine Spíritus Sancte, tu lóqueris nobis in Ecclésia et in consciéntia nostra, éxcitans corda nostra ad bonum. Pænitet nos te offendísse inobœdiéntia et durítia cordis.

℟. Da nobis veram pæniténtiam et éxcita in nobis amórem tui et próximi.

Minister:

Oratiónem nunc ad Deum Patrem nostrum dirigámus, ut dimíttat nobis peccáta nostra et líberet nos a malo:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

70. Deinde, pro opportunitate, fieri potest cantus a choro vel a fidelibus congregatis et celebratio concluditur gratiarum actione:

71. Deus consolatiónis et Pater misericordiárum, qui peccáta dimíttis confiténtibus tibi:
℟. Laudámus te et benedícimus tibi.

Deus consolatiónis et Pater misericordiárum, qui afflíctos et dolóribus affléctos partícipes reddis passiónis Fílii tui ad totíus mundi salútem:
℟. Laudámus te et benedícimus tibi.

Deus consolatiónis et Pater misericordiárum, qui tribulátos et lugéntes amas iísque das spem salútis et promíttis prǽmium vitæ ætérnæ:
℟. Laudámus te et benedícimus tibi.

Orémus.

Bónitas tua, Dómine, imménsa et misericórdia est infiníta.
Grátias tibi ágimus de donis recéptis et pétimus:
réspice in hanc famíliam tuam
in nómine Fílii tui congregátam
et consérva eam in fide viva, in spe firma
et in sincéra tui et próximi caritáte.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

vel:

72. Loco orationis, celebratio concludi potest benedictione:

Deus pacis corda vestra ímpleat omni bono,
ut divína spe et consolatióne roboráti,
secúndum voluntátem suam vivéntes
ad ætérnam perveniátis salútem.
Hæc et ómnia bona largiátur vobis omnípotens Deus:
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

73. Minister cœtum dimittit vel præsentes invitat ad familiare cum ægrotis colloquium.

APPENDIX III

SCHEMA PRO CONSCIENTIÆ DISCUSSIONE

1. Schema proponitur pro conscientiæ discussione, complendum et aptandum iuxta consuetudines locales et diversitatem personarum.

---

2. Quando examen conscientiæ fit ante sacramentum Pænitentiæ, convenit ut unusquisque ante omnia se interroget circa sequentia:

1. Accedone ad sacramentum Pænitentiæ sincero desiderio purificationis, conversionis, vitæ renovationis et profundioris cum Deo amicitiæ, an potius illud considero veluti pondus quam rarissime suscipiendum?

2. Sumne oblitus vel consulto tacui in præteritis confessionibus quædam peccata gravia?

3. Egine satisfactionem mihi impositam? iniurias forte illatas reparavi? proposita de emendanda vita secundum evangelium conatus sum in praxim deducere?

---

3. In lumine verbi Dei unusquisque vitam suam examini subiciat.

I. Dicit Dominus: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde ».

1. Dirigiturne cor meum in Deum ita ut vere illum super omnia in fideli mandatorum exsecutione diligam, tamquam filius patrem, an potius sollicitus sum de temporalibus rebus? Estne recta intentio mea in operando?

2. Estne firma fides mea in Deum, qui nobis locutus est in Filio suo? Adhæsine firmiter doctrinæ Ecclesiæ? Habuine curam de institutione christiana, verbum Dei audiendo, catechesim participando, fidei nociva vitando? an fidem in Deum et Ecclesiam semper strenue professus sum absque timore? Præbuine me libenter christianum in vita privata et publica?

3. Preces mane et vespere persolvi necne? Estne oratio mea vera mentis et cordis conversatio cum Deo an exterior ritus tantum? Obtuline Deo labores, gaudia et dolores? Ad ipsum in tentationibus recurro?

4. Habeone erga nomen Dei reverentiam et amorem, aut Deum offendi blasphemia, aut falso iuramento, vel nomen eius perperam assumendo? B. Mariam Virginem et Sanctos irreverentia prosecutus sum?

5. Diemne colo Domini et Ecclesiæ festa, cœtum liturgicum, Missam præsertim, actuose, pie et attente participando? Præceptis de annua confessione et de communione paschali obtemperavi?

6. Habeone fortasse alios deos, scilicet res quarum magis sollicitus sum aut in quibus magis confido quam in Deo, uti sunt divitiæ, superstitiones, spiritismus aliæque ineptæ magiæ artes?

II. Dominus dicit: « Diligite invicem sicut dilexi vos ».

1. Habeone veram dilectionem in proximum meum, an fratribus meis abutor eos ad fines meos adhibendo vel eis faciendo quod nolo ab aliis mihi fieri? Eisne gravi scandalo fui malis verbis et actionibus?

2. Vide an in familia tua, per patientiam et verum amorem ad bonum et gaudium ceterorum contulisti, an filii in parentes obœdientes, honorem eisdem exhibendo et auxilium in eorum necessitatibus spiritalibus et materialibus eis præstando; an parentes de filiis christiane educandis solliciti et bono exemplo paternaque auctoritate eos adiuvantes; an coniugi ad invicem fideles in corde et in conversatione cum aliis?

3. Dividone bona mea cum illis qui mihi pauperiores sunt? Quod in me est, defendo oppressos, subvenio miseros, adiuvo egenos, an proximum meum, præsertim pauperes, debiles, senes, advenas vel homines diversi generis despexi?

4. Estne vita mea memor missionis quam in Confirmatione accepi? Opera apostolatus et caritatis Ecclesiæ, vitam parœciæ participavi? Necessitatibus Ecclesiæ et mundi subveni et pro illis oravi, v. gr. pro unitate Ecclesiæ, pro populorum evangelizatione, pro pace et iustitia servanda, etc.?

5. Habeone curam de bono et prosperitate communitatis humanæ in qua vivo, an vitam meam duco de memetipso tantum sollicitus? Participo, pro viribus meis ad iustitiam, honestatem morum, concordiam, caritatem in civitate humana promovendas? An officia civica adimplevi, tributa solvi?

6. Sumne in meo labore sive officio iustus, operosus, honestus, ex amore servitium meum societati præstando? Dedine operariis et iis qui mihi inserviunt iustam mercedem? Promissiones et contractus observavi?

7. Legitimisne auctoritatibus obœdientiam et debitam reverentiam præstavi?

8. Si in aliquo munere constitutus sum vel auctoritatem exerceo, utorne illis meo commodo an aliorum bono, in spiritu servitii?

9. Servavine veritatem et fidelitatem, an falsis verbis, calumnia, detractione, iudicio temerario, violatione secreti aliis malum intuli?

10. Vitamne, integritatem physicam, famam vel honorem, bona aliorum violavi? Damnum aliquod illis intuli? Abortum suasi aut procuravi? Odio illos prosecutus sum? Rixa, inimicitia, contumeliis, ira, ab ipsis divisus sum? Propter egoismum testimonium de innocentia proximi culpabiliter neglexi?

11. Furatusne sum res alienas, iniuste et inordinate eas desideravi aut illis damna intuli? Procuravine rei alienæ restitutionem et damni reparationem?

12. Si iniuriis passus sum, fuine paratus ad pacem, ex amore Christi, et veniam concedendam, an odium vel vindictæ desiderium conservo?

III. Christus Dominus dicit: « Estote perfecti sicut Pater ».

1. Quænam est directio fundamentalis vitæ meæ? Animorne spe vitæ æternæ? Profectum vitæ spiritalis per orationem, verbi Dei lectionem et meditationem, sacramentorum participationem, mortificationem curavi? Fuine paratus domare vitia; inclinationes et passiones meas malas, uti sunt invidia, cibi et potus voluptas? Superbia et iactantia motus, coram Deo me exaltavi et alios contempsi, me illis præstantiorem existimans? Voluntatem tantum meam aliis imposui, aliorum libertatem et iura neglegendo?

2. Quemnam usum feci temporis, virium, donorum quæ a Deo tamquam « talenta evangelii » accepi? Utorne istis omnibus rebus ad memetipsum perfectiorem in dies faciendum? Otiosus et pigrus fui?

3. Dolores et contrarietates vitæ an patienter sustinui? Quomodo mortificationem in corpore meo tuli ut perficiam « ea quæ desunt passioni Christi »? Legem ieiunii et abstinentiæ an observavi?

4. Servavi sensus et totum corpus meum in pudicitia et castitate tamquam templum Spiritus Sancti ad resurrectionem et gloriam vocatum et tamquam signum amoris quem Deus fidelis pro hominibus habet, quod in sacramento matrimonii plene elucet? Carnem meam fornicatione, impudicitia, verbis et cogitationibus indignis, pravis desideriis vel actionibus maculavi? Voluptatibus meis indulsi? Lectiones, colloquia, spectacula et oblectamenta honestati christianæ et humanæ contraria frequentavi? Indecentia mea alios ad peccatum incitavi? In usu matrimonii legem moralem observavi?

5. Contra conscientiam meam ex timore vel hypocrisi egi?

6. Contendi semper in vera filiorum Dei libertatem agere, secundum legem Spiritus, an adsunt passiones quarum servus sum?

INDEX

HOC VOLUMEN
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
EXCUSUM EST
IMAGINEM INITIO VOLUMINIS POSITAM
IOANNES ALOISIUS UBOLDI
DELINEAVIT

50,–